

1290.

1218, diciembre 23.

Concordia entre el Preposito mayor del Monasterio y María, sobre un huerto vecino al manso de Poals, en virtud de la cual esta dará al Monasterio todos los años, por Navidad, como unico censo, un par de gallinas.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 132.

A. C. A., Cart., f. 422, n.º 1241.

Post multa placita et contentiones plurimas que vertebantur inter Petrum de Ameniis, ex una parte, tenentem locum prepositure maioris pro Petro Ferrario, procuratore monasterii s. Cucuphatis, et Mariam condam uxorem Bertrandi de Poals, defuncti et suorum filiorum, ex altera, super ipsum ortum qui est iuxta ipsum suum mansum de Poals quem ipsa et sui dicebant esse de manedia illa quam tenent et habent per cenobium s. Cucuphatis et pro eo dicebant quod nullum inde aliud debebant dare agrarium et censum nec etiam tenebantur. Ad hec predictus Petrus de Ameniis dicebat quod iam dictus ortus semper fuerat de alio honore unde dantur agraria et alios exitus monasterio s. Cucuphatis. Tandem vero consilio et laude iam dicti Petri Ferrarii procuratoris et Berengarii Dalmatii de s. Cucuphate atque Berengarii de Saltellis et Bernardi Barutini et Arnalli Perdicarii laudaverunt et dixerunt quod predicta Maria et filii eius et successores ipsorum teneant et habeant ipsum ortum per s. Cucuphatem sicut est terminatum et fexuriatum et quod semper in natale Domini dabunt cenobio s. Cucuphatis annuatim unum par gallinarum et quod in predicto orto nullum alium censum vel agrarium amplius requirant.

Actum est hoc x.º kal. ianuarii, a.º Domini MCCXVIII.º

Petrus Ferrarius, procurator; Petrus de Ameniis, monachus tenens locum prepositure maioris; S + m Berengarii Dalmatii; S + m Bernardi Barutini; S + m Berengarii de Saltellis; S + m Arnalli Perdicarii.

Raimundus, sacerdos et notarius publicus cenobii s. Cucuphatis, qui hoc scripsit...

1291.

1218, diciembre 23.

Aimerich de Sardañola y su esposa venden al Monasterio unas tierras que poseían en feudo, sitas en San Esteban de Ripollet, por 7 maravedises y medio.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 131-2 (n.º MCXXXIV).

A. C. A., Cart., f. 415v, n.º 1216.

Sit notum cunctis quod ego Eimericus de Cerdaniola, et uxor mea Arsendis, per nos et per omnes nostros gratis et propria voluntate, vendimus tibi Petro de Ameniis, monacho s. Cucuphatis et monasterio s. Cucuphatis, in perpetuum, terras, cultas et incultas, quas tenebamus et habebamus pro fevo monasterii s. Cucuphatis in comitatu Barchinone, in parrochia s. Stephani de Ripoleto, loco dicto Torreela. Que affrontant predictas terras in simul: ab oriente et a meridie in alodio s. Cucuphatis, in tenedone Guillelmi de Ripol, ab occiduo in

alodio s. Cucuphatis. Prenotatas itaque terras, integriter, cum terminis et afron-tacionibus suis et cum introitibus et exitibus suis, et cum omnibus arboribus, qui ibi sunt vel erunt, et cum omnibus in se habentibus, sicut melius habebamus et tenebamus per s. Cucuphatem pro fevo, vendimus tibi Petro de Ameniis et cenobio iam dicto s. Cucuphatis, et de nostro nostrorumque iure in vestrum vestrorumque dominium et potestatem tradimus, per vestrum franchum et liberum alodium, ad habendum et semper... Pro hac enim vendicione accepimus a vobis septem morabetinos et medium, bonos novos, anfassinos, de auro rectique ponderis, quorum nil remanet in debito; et est manifestum. Si vero hec vendicio plus valet, aut valebit, de cetero predicto precio, totum illud plus nos ex certa sciencia per nos et per nostros damus et in presenti traditnus et semper concedimus vobis et successoribus vestris, ad omnem vestram. . Ne vero possimus vel aliquis, nomine nostro, possit unquam contra presertem vendicionem in aliquo venire, nos excepcioni non numerate peccunie et decepcioni duplicis excepcionis et omni iuri et consuetudini quantum ad hoc per nos et omnes nostros; ex certa sciencia, renunciamus et convenimus et promittimus tibi Petro de Ameniis et cenobio s. Cucuphatis, quod simus semper defenssores et guarentes de ipso honore contra cunctos homines vel feminas, imperpetuum. Et ego Arsendis predicta, convenio et promito quod nunquam veniam nec venire faciam racione sponsalicii nec per aliquam racionem contra predictam vendicionem et ut melius a me et a meis firmitus teneatur et observetur, iuro per Deum et hec sancta quatuor evangelia sic attendeie, sicut superius dictum est.

Quod est actum x.º kal. ian., a.º Domini MCC octavo decimo.

S+m Eimerici de Cerdaniola; S+m Arsendis, uxoris eius, qui predicta laudamus... S+m Raimundi Celarer; S+m Berengarii Dalmacii; S+m Bernaidi de s. Cucuphate; S+m Petri Vitalis; S+m Guillelmi Arloti.

Ss. Petri, presbiteri, qui hoc scripsit...

1292.

1219, enero 6.

Arnaldo de Montecalvo y su esposa venden al Monasterio un manso sito en Riu-major, de San Martín de Sardañola, por 250 sueldos barceloneses.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 128 (n.º MCXXVIII).

A. C. A., Cart, f. 421, n.º 1238.

Notum sit cunctis quod ego Arnallus de Montecalvo, et uxor mea Agnes, per nos et per omnes nostros, gratis et libera voluntate, vendimus tibi Petro de Ameniis, monacho s. Cucuphatis, et monasterio s. Cucuphatis, totum nostrum illum mansum, integriter, quem habemus et tenemus per iam dictum cenobiumincomitatu Barchinone, in parrochia s. Martini de Cerdaniola, loco dicto Riyo maiori, sicut affrontat: ab oriente in manso Helie s. Cucuphatis, a meridie in alodio de Monte Cathano apud Torellum, ab occiduo in torrente qui discurrittempore pluviali ante domum Barboti sive in predicto Rivo, a circio in tenedone quondam Raimundi Ferrarii defuncti ad ipsam Peram. Prenotatum itaque mansum integriter, cum omnibus pertinentiis et tenedonibts

suis, cultis et incultis et omnibus arboribus diversorum generum et cum introitibus et exitibus, sicut melius habemus vel habere debemus, cum omnibus actionibus et directis et locis que ratione dicti mansi nobis competunt aliqua parte, vendimus tibi Petro de Ameniis iam dicto et prenotato cenobio in perpetuum, et de nostro nostrorumque iure in vestro vestrorumque tradimus dominium et potestatem, ad habendum et... Pro hac enim venditione accepimus a vobis CCL solidos denariorum Barchinonenses valentes marchis argenti XIII solidos, quorum nil remanet in debito; et est manifestum. Si vero: hec venditio plus valet vel de cetero plus valebit predicto precio, totum illud plus nos ex certa sciencia per nos et per omnes nostros damus et in presenti tradimus et semper concedimus vobis et vestris ad omnem vestram vestrorumque... Ne vero possumus vel alius, nomine nostro, possit unquam contra presentem venditionem in aliquo venire, nos omni exceptioni non numerate pecunie et omni exceptioni duplicis deceptionis et omni iuri et consuetudini quantum ad hoc per nos et per omnes nostros ex certa sciencia penitus renuntiamus. Et ut firmiter et securius hec teneatur et observetur, ego predicta Agnes, tacti; sacro sanctis iiii. Evangeliiis per Deum iuro hec omnia prescripta firmiter observare et tenere semper complere et ne aliquo quolibet casu vel aliqua qualibet voce hereditari vel sponsaliti non presumam contravenire, set dando, concedendo laudo et diffinio predictum mansum integritur, ut superius prenotatur.

Actum est hoc viii.º idus ian., a.º Domini MCCXVIII.º

S+m Arnalli de Montecalvo; S+m Agnetis, uxoris eius, qui hoc laudamus...; S+m Arnalli de Ferrutionibus; S+m Petri de Fayone; S+M Sabatelli; S+m Ferrarii Sabatelli; S+m Petri de Montecalvo, patris supranominati Arnalli de Montecalvo.

Raimundus, sacerdos et notarius publicus cenobii s. Cucuphatis, qui hoc scripsit...

1293.

1219, enero 7.

Pedro de Montecalvo vende al Monasterio el alodio que poseía en Mata, en la parroquia de Milans, por 50 sueldos barceloneses.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 128-9 (n.º MCXXIX). — DURAN, *Las relaciones*, 237. A. C. A., Cart. f. 415, n.º 1213.

Notum sit cunctis quod ego Petrus de Montecalvo, per me et per omnes meos, gratis et libera voluntate, vendo tibi Petro de Ameniis, monacho s. Cucuphatis et eiusdem monasterio, illum meum alodium, integritur, quod per vocem parentorum meorum habeo et teneo in comitatu Barchinone, in terminio Terracie, apud Matham. ad illum locum qui dicitur Loporda, quod est in parrochia s. Felicis de Villa Mille Annorum, sicut affrontat: ab oriente in ipsa serra, a meridie in alodio condam Guillelmi de Claromonte quod dimisit cenobio s. Cucuphatis, ab occiduo in via publica que tendit a manso Guillelmi de Mata versus s. Felicem iam dictum et versus s. Petrum de Rubi, a circio in tenedone Guillelmi de Matha et sui mansi. Prenotatum itaque alodium, totuni, cum omnibus introitibus et exitibus et cum omnibus sibi pertinentibus

et cum omnibus arboribus diversorum generum, et sicut melius habeo vel habere debeo, vendo tibi Petro de Ameniis et iam dicto monasterio in perpetuum, cum omnibus accionibus et locis et directis que ratione dicti honoris mihi competunt aliqua parte, et de meo meorum... Pro hac enim vendicione accepi a vobis quinquaginta solidos denariorum Barchinonenses, valentis marchos argenti XLVIII solidos, quorum nil remanet in debito; et est manifestum. Si vero hec vendicio plus valet, vel decetero valebit predicto precio, totum illud plus ego, ex certa sciencia per me et per omnes meos, dono et in presenti trado et semper cedo vobis omni tempore... Ne vero possim vel aliquis nomine meo possit unquam contra presentem vendicionem in aliquo venire, omni excepcioni non recepte pecunie et omni excepcioni duplicis deceptionis et omni iuri et consuetudini, quantum ad hoc per me et per omnes meos, ex certa sciencia penitus renuncio.

Quod est actum vi.º ian., a.º Domini MCCXVIII.º

S + m Petri de Montecalvo, qui hoc laudo et firmo et testes firmare rogo; S + m Arnalli de Montecalvo, filii eius; S + m Arnalli de Furrozonibusi; S + m Petri de Fayone de s. Cucuphate; S + m Sabatelli; S. + m Ferrarii Sabatelli; S + m Agnetis, uxoris predicti Arnalli de Montecalvo.

Raimundus, sacerdos et notarius publicus cenobii s. Cucuphatis, qui hoc scripsit...

1294.

1219, marzo 7.

Sancha, hija de Gilaberto, difunto, y María Gilaberta, madre suya, venden al Monasterio dos piezas de tierra sitas en Alberi y dos viñas radicadas en el Prado de San Cugat, por 400 sueldos de Barcdoia.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 129-30 (n.º MCXXX).

A. C. A., Cart., f. 421, n.º 1239.

Notum sit cunctis quod ego Santia, filia que fui Gilaberti de Villa s. Cucuphatis condam defuncti, et Maria Gilaberta, mater mea, per nos et per omnes nostros, gratis et libera voluntate, vendimus tibi Petri de Ameniis, monacho s. Cucuphatis et monasterio eiusdem s. Cucuphatis, in perpetuum, duas pecias terre in loco dicto Albaric; quarum una affrontat: ab oriente in torrente, qui discurrit de Campaniano, a meridie in honore Berengarii de Castro Galino, quem tenet mansus de Prato, ab occiduo et circio in alodio s. Cucuphatis, quod tenet mansus de Bezons. Alia vero pecia affrontat: ab oriente et meridie in alodio s. Cucuphatis et tenet mansus de Nogera et mansus de Albaric, ab occiduo in via publica que tendit a s. Laurentio de Fonte Caltiato versus molendinos de Bezonibus, a circio in honore Guillelmi de Vilalba quem tenet mansus Io. Adarch. Vendimus etiam tibi predicto Petro iam dicto monasterio s. Cucuphatis similiter per nos et per omnes nostros, et spontanea voluntate, duas pecias vinearum, cura terris quibus fundatur separatim ad ipsum Pratum s. Cucuphatis positas. Quarum una affrontat: undique in alodio s. Cucuphatis, alia vero pecia affrontat: ab oriente et occiduo ^{et} circio in alodio s. Cucuphatis, a meridie in honore domus de Ca-

nalibus. Prenotatas itaque duas pecias terre cum duabus peciis vinearum et terris quibus fundatur, integriter, cum terminis et affrontationibus et cum introitibus et exitibus suis, sicut melius voce genitorum meorum et ratione sponsalicii vel aliis modis habemus vel habere debemus et sicut per predictum cenobium s. Cucuphatis possidemus et habemus in comitatu Barchinone, in parochia s. Petri Octavianensis, in prenominatis locis cum omnibus actionibus et locis et directis que ratione dicti honoris nobis competunt aliqua parte, vendimus tibi Petro de Amenis iam dicto et prenominato cenobio in perpetuum, et nostro nostrorumque... Pro hac enim venditione accepimus a vobis cccc solidos denariorum Barchinone valentis march. argenti XLVIII solidos, quorum nil remanet in debito; et est manifestum. Si vero hec venditio plus valet vel decetero valebit predicto pretio, totum illud plus nos ex certa scientia per nos et per omnes nostros damus et in presenti tradimus et semper concedimus vobis omni tempore, ad omnem vestram... Ne vero possimus vel aliquis nomine nostro possit unquam contra presentem venditionem in aliquo venire, nos omni exceptioni duplicis deceptionis et omni iuri et consuetudini, quantum ad hoc per nos et per omnes nostros, ex certa scientia penitus renuntiamus.

Actum est hoc nonas marcii, a.° Domini MCCXVIII.°

S+m Santie; S+m Marie, matris eius, qui hoc...; S+m Bernardi Ferrarii, viri predictae Santie; S+m Petri de Fayone, viri predictae Marie; S+m Bernardi de Costa; S+m Iohannis de Magerova; S+m Perpiniani.

Raimundus, sacerdos et notarius publicus cenobii s. Cucuphatis, qui hoc scripsit...

1295.

1219, abril 1.

El rei Jaime I concede salvoconducto a las acémilas y arrieros de San Cugat que lleven vituallas y vestidos de los monjes.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 132-3; (n.° MCXXXVI). — PERAY, *S. Cugat*, 129.

A: Orig. A. C. A. Monacales, perg. *S. Cugat*, n.° 843, n.° 768.

B: A. C. A. Cart., f. 411, n.° 1200.

Manifestum sit omnibus quod nos Iacobus Dei gracia rex Aragonum comes Barchinone et domnus Montispessulani adtendentes quod venerabile monasterium beatissimi Cucuphatis militis vexatum fuerat gravaminibus et rapinis quod quidem monasterium beneficium ospicii et victualium non consuevit alicui denegare quam consuetudinem licet proprie non suppetant facultates debitis tamen et manulevacionibus ninitur exercere de libertate nostra et gracia et consilio consiliariorum nostrorum duximus statuendum quod omnes equitature et azemble illius monasterii et homines qui eas duxerint cum victuaiibus et vestibus monachorum sint per totam terram nostram salve penitus et secure et sub nostro eas recipimus guidatico speciali. Ita quod debito aliquo et offensa vel querimoniis aut aliqua alia ratione vel occasione ab aliquo non graventur nec impcdiantur nec aliquatenus pignorentur set in eundo stando et redeurdo salve ubique permaneant et secure. Si quis autem contra hoc nostrum privilegium ausu temerario incedere attemptaret vel hominibus aut azem-

blis vel victualibus aut vestibus monachorum debito vel racione alia pignoret vel faceret aliquod nocumentum iram et indignacionem nostram se noverit ircursum et, dampno dato dupliciter restituto, quingentorum morabetinorum pena absque remedio puniretur.

Data apud *s.* Cucuphatem kalendas aprilis, anno incarnationis Domiui MCC.^o nono decimo.

S + m Iacobi, Dei gracia regis Aragonum, comitis Barchinone et domini Montispesulani huius rei restes sunt; A. vicecomes Castriboni; G. de Montecatano; B. de Portella; Gaucerandus de Pinos; G. de Calders; Berengarius de Portella; G. Bernardi de Paracolles et multi alii.

Blaschi domini regis notarii manus signum qui hoc scribi fecit.

S + m Iohannis Egidii, qui mandato domini regis et B. notarii sui hanc cartam scribi fecit...

1296.

1219, mayo 8.

Testamento de Arnaldo de Crebasi.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 133 (n.^o MCXXXVII).

A. C. A., *Cart.*, f. 403, n.^o 1171.

EDIT.: SEGURA, *Historia*, i, 47, y ii, ap. T. — HUICI, *Col. Diplomática*, n.^o xiv.

In Dei nomine. Ego Arnaldus de Crebasi, iacens in egritudine, tamen pleno sensu et memoria, facio meum testamentum in quo eligo manuraissores meos, videlicet Guillelmum de Crebasi, fratrem meum, et Arnaldum Ferrerii et Rocamur, quibus precipio quod... Primum mando ut debita mea persolvantur de comune. Dimito corpus meo *s.* Valentino cum xx solidis; dimito pro anima mea alios xx solidos, sicut melius videbitur a manumissoribus; dimito fratri meo Guillelmo totum meum honorem et mobilem ubicumque habeo et habere deo, sicut melius michi evenit et evenire debet aliquo modo, et ipse persolvat debita mea et lexas. Si quis hoc...

Actum est hoc viii.^o idus madii a.^o Domini MCC nono decimo.

S + m Arnaldi de Crebasi, qui hoc testamentum facio et firmo; S + m Guillelmi de Crebasi; S + m Arnaldi Ferrerii; S + m Rocamur, manumissorum qui hoc laudamus; S + m Guillelmi, presbiteri.

S + m Bernardii Scholaris, qui hoc scripsit iussu Guillelmi Bruguera...

1297.

1220, marzo 16.

Arbitraje de Peregrino de Vilamajor en la causa promovida entre el preposito Pedro de Amenys y el lugarteniente de Guillermo de Montcada sobre el dominio y posesión de Juan de Magerova.

REGESTA: Mas, *Notes*, vi, 133-4 (n.^o MCXXXVIII). — HINOJOSA, *El régimen*, ap. V. A. C. A., *Cart.*, f. 422, n.^o 1242.

Inter Petrum de Amenis, prepositum *s.* Cucuphatis cenobii, ex una parte, et Bernardum Barutini, tenentem locum Guillelmi de Montecathano, ex altera, fuit in posse Peregrini de Villamaior, iudicis electi de consensu utriusque par-

tis, super possessione et dominio cuiusdam hominis scilicet Iohannis de Magerova, agitata questio in hunc modum. Dicebat siquidem dictus prepositus quod dictus Iohannes erat homo proprius cenobii s. Cucuphatis, et super hoc ostendit cartas acquisitionis sive acapte, in quibus continebatur quod ipse Iohannes debebat esse habitans nomine s. Cucuphatis in manso de Magerova, et dicebat se hoc idem probare per testes quod erat homo proprius s. Cucuphatis. Ex adverso respondebat Bernardus Barutini quod possessio et dominium ipsius hominis ad eum spectabant; et ostendebat super hoc cartam de acapte in qua continebatur quod ipse et sui tenebantur facere domum in honore Guillelmi de Montecatano, quam ipse et sui accaptaverant ab antecessoribus ipsius Guillelmi de Montecatano et tenebantur ibi facere domum ad maneudum ibi hominem vel feminam et etiam hoc idem dixit se probare per testes dictus Bernardus Barutinus, unde super hoc fuere utrique parti testes adiudicati, quibus testibus, perlectis ex voluntate partium et disputatis, ac legaliter examinatis, et visis etiam instrumentis et diligenter inspectis, et inquisita rei veritate, et habito prudentum consilio, de iure pronuntio ego Peregrinus de Villamaiori, quod dictus Iohannes de Magerova debeat esse proprius homo s. Cucuphatis, sed quia probatum est per testes quod quando erat timor Aragon, ipse Iohannes et sui stabant in honore de Montecatano et in tempore messium ad colligendum granum ibi stabant similiter et etiam quando dictus Iohannes et sui habebant rixam cum cenobio s. Cucuphatis stabant in honore Montiscathani, sicut probatum est per tres testes datos ex parte s. Cucuphatis, scilicet Petrum de Fayone, Raimundum de Fayone et Vives de Orto; de iure similiter pronuntio quod dictus Iohannes quando pro hiis supradictis causis se in honorem Montiscathani, sit et maneat ibi salvuset securus.

Data hec sententia xvii kal. apr. a Domini MCCXX.º.

S+m Pelegrini de Villamaiori;

S+m Petri de Bages, notarii, qui hoc scripsit...

1298.

1220, agosto 1.

Berenguer Dalmau, amigable compositor, declara que los herederos de Saurina de Valldoreix deben tener la bailia que les dió el abad Guillermo. (Véase doc. 6 encro 1192.)

A. C. A., Monacales, perg. S. Cugat, n.º 440 (3).

Cum Berengarius Dalmacius, tenens locum abbatis s. Cucuphatis, ex una parte, et Saurina de Valle Daurexio pro se et filia Bernardi de Valle Daurexio, filii eiusdem Saurine, defuncti, ex altera contenderent super baiulia quam Guillelmus, abbas s. Cucuphatis et conventus, dederant et comendaverant dicte Saurine et filio suo Bernardo. Dicebat enim dictus Berengarius, quod post obitum Bernardi de Valle Daurexio et Saurine, debebat reverti dicta baiulia in dominium cenobii s. Cucuphatis. Pars autem adversa dicebat quod hoc adverbium "semper" quod insertum est in carta donationis quam dictus abbas fecit dicte Saurine et filio suo Bernardo comprehendebat quod perpetuo habere debeant dicta Saurina et filia Bernardi de Valle Daurcxio et heres

eius baiuliam prenotatam; unde utraque pars compromi[ssi]t stare sub examine Peregrini de Villamayore, cognitoris electi a dicto Berengario Dalmatio et voluntate alterius partis, qui viso instrumento donationis et auditis hinc inde rationibus et allegat[io]nibus et inquisita rei veritate, iure sentenciavit quod dicta Saurina et filia Bernardi de Vall Daurexio et heredes eius debeant perpetuo habere baiuliam prenotatam.

Actum est hoc kal. aug., a.° Domini MCC vicesimo.

S + m Pelegrini de Villamayori.

S + m Petri de Bages, notarii, qui hoc scripsit...

1299.

1222, junio 4.

Concordia firmada entre Arnaldo Vives y "Lobad" de Cabrera, de una parte, y Guillermo de Crebasi, de otra, sobre el manso de "Chasal Doriol", que los primeros ceden a favor de Guillermo.

REGESTA: MAs, *Notcs*, vi, 134 (n.° MCXXXIX).

A. C. A., Cart., f. 402, n.° 1166.

Notum sit cunctis quod ego Arnaldus Vives et Lobad de Capraria bono animo et spontanea voluntate, venimus ad finem et concordiam de multas querimonias et de multas contenciones qui sunt inter nos et Guillelmus de Crebasi de manso de Chasal Doriol, scilicet, quem nos supradicti Arnaldus Vives et Lobad difinimus et evacuamus tibi Guillelmo de Crebasi et tuis, totam ipsam honorem quam tenebat Raimundus de Crebasi, pater tuus, sicut fuit divisa inter Raimundum de Crebasi et Berengarii, pater eius, et pruvarent Venrel de Torre et Castelvil per sacramentum... Et si quis hoc...

Actum est hoc ii.° nonas iunius, a.° Domini MCC.° vigesimo ii.°

S + m Arnaldus Vives; S + m Lobadi, nos qui hoc laudamus et firmamus;
S + m Petri Eius.

S + m Petri, presbiteri...

1300.

1225, abril 30.

El rey Jaime I confirma al Monasterio el privilegio que tenía de no pagar justicias por ciertas causas.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 135 (n.° MCXLI). — BARRAQUER, *Las Casas*, i, 1302. — PE-
DeMONTE, *Notes*, 152. — PERAY, *San Cugat*, 129.

A. C. A., Cart., f. 419, n.° 1231.

Sit notum cunctis quod nos Iacobus Dei gracia rex Aragonum comes Bar-
chmone et dominus Montispessulani. Audito ex confessione venerabilis pa-
tris B. episcopi Barchinone et Berengarii Burgeti vicarii Barchinone et Petri
Grunni et Raimundi de Plicamanibus ab ipsis et ab aliis in plena curia nostra
facta quod abbas prior et conventus s. Cucuphatis de Vallesio et monachi ip-

sius conventus qui eiusdem monasterii honores tenent non tenentur dare aliquas iusticias pro aliquibus causis vel placitis pro quibus firment in manu et posse nostrorum vicariorum vel baiulorum. Volumus et statuentes firmiter precipiendo mandamus quod libertatem et franquitatem ob remedium anime mee et parentum meorum quod abbas prior et conventus prefati monasterii habeant possideant... Nullus igitur vicarius vel baiulus contra hac libertatem franchitatem et indulgenciam veniat vel venire faciat si de nostri confidit gracia vel amore et in super puniemus ipsum pro nostro arbitrio voluntatis et propter hoc nullus vicarius vel baiulus in nobis confidentibus possit eorum directum et iuris complementum aliquatenus ipse diri. Et hoc per totam vicariam Barchinone et per totum etiam Vallesium et Penitensem inviolabiliter precipimus et concedimus observari. Quicumque autem contra...

Date Dertuse pridie kal. madii, a.º incarnationis Domini Mcccxx.º quinto.

S + m Iacobi, Dei gracia regis Aragonum, comitis Barchinone et domini Montispesulani; huius rei testes sunt S. archiepiscopus Tarrachone; B. episcopus Barchinone, G. episcopus Vincensis, P. episcopus Dertusensis, G. de Montecatano, G. R. senescalus, G. de Cervilione, B. de Portella, G. de Claromonte, G. de S. Vincencio; S + m Berengarii de Parietibus, qui mandato domini regis et Guillelmi Rabacie notarii sui hoc scribi fecit loco die et anno prefixis.

1301.

1226, febrero 24.

Testamento de Guillermo de Santa Oliva.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 134-5 (n.º MCXL).
A. C. A., Cart., f. 394, n.º 1149.

Quoniam nullus... In Dei nomine. Ego Guillelmus de s. Oliva, repentine mortis... meum facio testamentum, in quo eligo et constituo mihi manumissores meos domnum B. Dei gratia episcopum Barchinone, et G. de Terrachona, quibus plenam confero potestatem presenti pagina subscribi facio cum consilio tamen et voluntate fratris Bi. Calvoni et R. de Speluncha, quos eis pro consiliariis assigno. In primis volo et mando quod omnia mea debita persolvantur, et iniurie mee plenarie emendentur, de bonis et rebus meis, prout inferius declarabitur. Primo mando dari Bn. de Nafresca LX solidos quos ab eo iniuste recepi, et si fuerint bone monete solvantur inde sibi cxx solidos, et Iohanni de Porta XL solidos si non fuerint sibi soluti; P. Boter de xiiii usque ad xvi. solidos, et Ferrario Ioverio v quarteras ordeï et Bertrando Pauco mando solvi denarios pro panno quem ab eo habui pro uno coto, sicut ipse dixerit, et reddatur unus de v sarracenis, quos habeo apud s. Oliva de Petro de Valledaurex. Et est sciendum et fateor in veritate que nichil solvi in omnibus sarracenis masculis et feminis, parvis et magnis, quos hoc anno emi in campo Galearum. Item mando solvi Guascono cccc solidos quos sibi debeo de pretio cc quarteras annone quas ab eo emi, vel si sibi non fuerint soluti dicti numero detur ei tantum de ipsa annona quousque sibi fuerit inde pleniter satisfactum. Dimitto Petro de Fonolar unum de duobus equis quos habeo apud s. Olivam scilicet brunum. Item mando reddi Audree Rosello de s. Oliva L

solidos pro quadam roberia que sibi facta fuit. Et Celonie, mulieri eiusdem loci, omnia que ab ea recepta fuerint. Item mando reddi filio R. Ballestarii et Gr. Ballistario et G. Ballisterio illos ccc solidos quos mihi dederunt de quo non tenerint se pro bene paccatis, et reddantur Bn. de Fonoier XL solidos istius monete quos ab eo habui et Guillelmo, qui consuevit ducere caravum meum xxx solidos. Et detur cuidam ioverio tunica quam sibi debeo, et solvantur Muntenere xxvi solidos quos sibi debeo et mando solvi Mazote, pellipario de Barchinona, XL solidos quos ei debeo de una penna; et si dixerit quod amplius sibi debeo, amplius sibi solvantur. Et absolvantur R.^o F. de Mari apud Barchinonam feudum quod R. de Torreella tenet per me et quicquid inde habui ultra sortem debiti mei. Item mando absolvi uxori que fuit G. de Vilaraldi quoddam feudum quod ab ea teneo. Et mando absolvi Bg. Dariels duos sesters de annona que ab eo sub pignore detinebam, et videatur si quid amplius inde habui et reddatur sibi. Mando etiam absolvi Bg. de Maerata vel suis totum feudum de Garters et quicquid inde ultra sortem habui. Item mando reddi Bg. de Ruvira hoc quod iustum fuerit de illo pignore quod ab eo tenui, nam ego laborabam ipsum et dabam inde sibi gratis quartam partem omnium fructuum quos inde recipiebam. Et reddo omnibus hominibus de Bergelith earum vineas, illas scilicet quas per me tenebant et quod de cetero laborent eas bene et teneant semper per meos. Item reddo et dimitto filio Petri de Ollesa quandam vineam, quam ab eo sub pignore detinebam, et quicquid inde ultra sortem habui. Dimitto omnibus hominibus de les pagesies et meis hominibus propriis, tam de plano quam de monte, per hos tres primos annos continue verturos omnes redditus quos mihi facere tenentur pro multis malis et sodranceriis et ademprivis que ab eis recepi, super quibus rogo eos ut amore Dei et intuitu pietatis mihi remitant et parceant predictas iniurias et forcias vel si quid amplius ab eis habui vel extorsi. Et dimitto G. Morages DC solidos eiusdem monete quaternalis, quos similiter solvit pro quadam firman-
tia quam per me fecit. Item dimitto Bugaral alios DC solidos eiusdem monete quaternalis, quos similiter solvit pro quadam firman-
tia que per me fecit. Et mando solvi G. Triter et Berengario Saranella illud quod solverunt pro me per firman-
ciam. Mando etiam reddi quidam homini de Iuneta unam equam suam de qua habui XL solidos bone monete. Item mando reddi filio Dulcie Ferrarie LX solidos monete quaternalis quos habui a patre suo pro una equa. Mando et reddi domne Guillelme de Castraveteri duas copas argenti et duos anulos cum lapidibus de maragde, solutis tamen ante omnia mihi vel meis ab ipsa xxxvii marchis de quaterno, quas mihi debet, sicut continetur in instrumento inde confecto. Et solvantur cuidem femine de Placia xx denarios, et Guillelme de Bargario xii denarios quos ei debeo. Et Petro Grimaldo xiiii solidos quos ei debeo. Dimitto etiam Guillelmo de Terrachona, demanso Ricardi, xvi solidos bone monete quaternale quos mihi debet pro bigis quas et vendidi et ipsas bigas. Dimitto Domino Deo et domui Hospitalis de Amposta loricara meam de corpore et capellum ferreum et enseme meum. Item dimitto hominibus de Roda illos ccc solidos quos mihi debent et duos moltones de illa roberia quam eis fecerant de quibus est mihi fideiussor Petris de Valledaurex. Volo etiam quod detur F. de Zavola una tunica pro esmenda illius tunice, quam ei esquinzavi, et unus porcus quem homines mei sibi levaverunt. Item mando reddi Berengario de Pratis molendina que ab eo

emi pro precio quod inde sibi dedi. Et solvantur Guaamir viii solidos quos ei debeo de vino, et Bertolomeo Zabata ix solidos de custuris. Item volo quod reddantur guarniones de corpore et de cavallo Guaschono de Albornar, et reddo A. de Rexach omnes possessiones quas ab eo detinebam apud s. Olivam, domos scilicet cum turre et unum ortum. Et reddatur una quarteria de lino cuidam mulieri cui vendidi unam quarteram de lino quod non exivit. Preterea mando dari Rosse, mulieri, L solidos pro expletis que habui de quadam vinna sua et quod reddatur ei instrumentum. Volo etiam quod solvantur Berengario de Crexello cc solidos quos ei debeo pro quodam pullino quem ab eo emi, et solvantur A. de Celma ix solidos et dimidium quos ei debeo. Volo etiam quod solvantur illi xv morabetinos et quarta de campo pro quibus fuit pro me fideiussor Berengario de Valencia pro uno sarracenulo et una sarracenula, et mando solvi P. F. de Gradibus c solidos quos mihi tradidit Alfaquim, eideus. Mando etiam dari A. de Rexach x quarteras ordeï, item principio reddi B. Biliano de F. fratri suo filiis quondam Viilani mansum de Palatio cum omnibus pertinentiis suis, quem ab eis detinebam et mando dari x quarteras ordeï Berengario de Riu, et mando reddi Petri Oliverio illud accapte quod adquisiverat a domino Ricarda de quibusdam operatoriiis apud Portellum, et illud similiter quod dederam Arrais. Volo insuper et firmiter mando quod si qua alia debita sunt, que modo ad memoriam non reduco, quod omnia persolvantur de bonis meis sine aliquo contradicto, secundum quod iustum fuerit. Similiter si aliqua iniure stint vel remanent de quibus superius non fecerim mentionem, volo et firmiter precipio quod emendentur et plenarie satisfiant de bonis meis illis quibus in aliquo racione illarum iniuriarum tenebar vel eram in aliquo obligatus ita quod nullum peccatum remaneat penes animam meam. Preterea eligo mihi sepulturam in cimiterio beate Tecele sedis Tarrachone. Et accipio pro anima mea M solidos de quibus dentur mense canonicorum Tarrachone cc solidos, domno archiepiscopo cc solidos, operi. Michaelis de Mari cc solidos, operi sedis Tarrachone L solidos, A. de Crosa, capellano domni archiepiscopi, xx solidos, capellanis parrochialibus Tarrachone utriusque eorum x solidos. Singulis ecclesiis pauperibus Tarrachone v solidos; Hospitali pauperum Tarrachone v solidos duodecim presbiteris secularibus qui celebrent pro anima mea utriusque eorum v solidos. Captivis redimendis xx solidos, de sanctis Crucibus xx solidos, de Populeto xx solidos, Vallis bone xx solidos. Et quod inde remanserit dividant dicti manumissores mei inter missas celebrandas et pauperes pro anima mea secundum quod eis videbitur expedire. Item fateor et sollempniter recognosco quod habui et recepi duodecim milia solidos monete quaternalis a Maria filia Petri Moneder, quos ei et filiis quos ex ea habui volo et mando reddi et solvi post obitum meum et habeant ipsos super castro de Arampruia cum terminis suis, ita quod de redditibus et exitibus ipsius castri ipsis plenarie de predicta pecunia satisfiat. De rebus vero sive bonis meis non possum nec volo eis aliquid dimittere eo quod non sunt legitimi filii mei. Immo sunt spurii et ex dampnato coitu procreati, nam licet in faciem Ecclesie de facto contraxerim cum dicta Maria, matre eorundem, non tenuit de iure matrimonium inter me et ipsam, eo quia ipsa habebat maritum legitimum vivum, sicut ego bene scio et recognosco coram Deo et hominibus. Verum, intuitu pietatis, dimitto eis equis porcionibus quingentos aureos quos habeant super exitibus et redditibus castri predicti de Aram-

pruina. Ita quod de exitibus ipsis eis plenarie satisfiat, solutis primo tamen dictis duodecim milibus solidis predicte Marie e filiis suis, ut superius dictum est. Et dimitto domos quas emi a manumissoribus Marie Bovere, Marie filie qd. Iohannis Tom et filio suo. Set post obitum ipsius Marie porcio ipsius Marie revertatur dicto filio suo, et insuper iuxta consilium manumissorum et consiliariorum de bonis meis provideatur eis in aliquo moderate intuitu pietatis. Dimitto filie mee, Saurine uxori Guillelmi de Terraza, castrum meum de Arampruina et castrum de s. Oliva cum terminis eorundem et alia mea bona universa et singula ubicumque sint, in quibus eam michi heredem instituo, persolutis tamen ante omnia xii milibus solidos et quingentis aureis supradictis prefate Marie et filiis suis, quos habeant super castro de Arampruina et terminis suis, ut superius est premissum. Salvis etiam M solidos quos volo reddi et solvi Petro Monetario, quos ei debeo, quos similiter habeat super dicto castro de Arampruina. Verum si ipsa Saurina, filia mea, sine legitima prole obierit, revertatur tertia pars dicti castri de Arampruina filiis Berengarii de s. Oliva et residue due partes ipsius castri de Arampruina et castrum de s. Oliva cum terminis suis revertantur Guillelmo et Maymono, filiis dicte Marie et meis, non tamen legitimis, ut dictum est superius. Et si ipsi sine prole legitima obierint, et in quibus eos substituo revertantur duabus sororibus eorundem filiabus predicte Marie et meis non legitimis, ut superius dictum est. Predicta autem Saurina, filia mea, teneatur solvere omnia debita mea et legata et universas iniurias emendare tam expressas quam non expressas sine aliqua cavillatione vel contradiccione, et si ipsa circa hec in aliquo fuerit negligens vel remissa compellatur precise a predictis manumissoribus meis ad faciendum et complendum omnia supradicta et singula vel etiam ipsi manumissores mei auctoritate propria non expectata iudiciali sententia possint de bonis meis solvere, facere, complere omnia suprascripta prout melius eis videbitur faciendum. Ipsi tamen manumissores in omnibus supradictis procedant consilio dictorum consiliariorum. Volo etiam et mando quod istud sit ultimum testamentum meum vel ultima mea voluntas, et quod valeat iure testamenti vel ultime voluntatis. Et si aliquid testamentum...

Quod est actum vi.º kal. marcii, a.º Domini ducentesimo xx.º quinto.

S + m mei Guillelmi de s. Oliva, qui hoc testamentum... ego Berengarius, Barchinonensis episcopus, salvo iure meo subscribo; S + m Guillelmi de Tarraçhona, manumissoris, qui hoc firmat et laudat; S + m mei fratris B. Calvonis, qui salvo Cisterciense ordine, ss.; ego Raimundus de Speluncha, ss.; S + m Arnaldi de Rexach; S + m Bernardi de Crexello; S + m Bernardi de s. Felice; S + m Laurentii de Costantino.

S + m Petri Bonelli, qui hoc scripsit, mandato magistri Guillelmi Tarraçhone, notari...

1302.

1228, julio 11i.

Gregorio IX concede al Monasterio que pueda continuar celebrando los oficios divinos aun en tiempo de entredicho.

REGESTA: Potthast.

A. C. A., Cart., f. 418 v, n.º 1228.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et conventui monasterii s. Cucuphatis, Barchinonensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Ut eo libentius divinis vacetis obsequiis quo in hiis pociorem a sede apostolica gratiam vobis cognoveritis esse factam, nos devocionis vestre supplicacionibus inclinati auctoritate vobis presencium indulgemus ut cum generale terre fuerit interdictum, liceat vobis, clausis ianuis. excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto, et id vobis non contingat a sede apostolica specialiter interdicti. Nulli ergo omnino... Si quis autem...

Dat. Perusii v.º idus iulii, pontificatus nostri anno secundo.

1303.

1230, enero 20.

Testamento de Saurina, hija del difunto Guillermo de Santa Oliva.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 134-5 (n.º MCXL).

A. C. A., Cart., f. 395, n.º 1151.

In Christi nomine. Ego Saurina, filia qd. Guillelmi de s. Oliva, in meo pleno sensu et sana memoria, fatio meum testamentum in quo eligo manumissores meos, videlicet Petrum Monetarium, avum meum, Guillelmum de Vico et Guillelmum de Vico, iuniorem, quibus rogando precipio... Primum dimitto Hospitali s. Iohannis iii solidos cum corpore meo ibi sepeliendo. Et dimitto Guillelmo de s. Oliva, fratri meo, omnem hereditatem que mihi pertinet aut pertinere debet ratione patris mei Guillelmi de s. Oliva vel matris mee vel modis aliis tam mobilia quam etiam immobilia ubique tam in castro s. Olive quam in castro de Arapruniano quam etiam in aliis locis. Item dimitto Ferrarie x solidos.

Actum est hoc xm.º kal. febr., a.º Domini MCCXXIX.º

S + m Saurine, predicte, qui hoc testamentum laudo et firmo et a predictis meis manumissoribus firmarique rogo; S + m Petri Monetari; S + m Guillelmi di Vico; Guillelmus de Vico, laudans hoc firmat in isto; S + m Raimundi de Casanova; S + m Bernardi Lul; S + m Arnalli de Merola; S + m Petri de Rocha de Quarteria.

S + m Petri de Bages, notarii publici Barchinone, qui hec scribi fecit...

1304.

1230,

abril 22.

Gregorio IX confirma al Monasterio las iglesias de San Pedro y de San Severo, con sus bienes y posesiones.

REGESTA: BALARI, *Orig.*, 162. — MAS, *Notes*, v, 69 (n.º DLXII). — PERAY, *S.Cugat*, 134. — KEHR, *Papsturk*, i, 61, nota 2.

A. C. A., *Cart.*, f. 419. n.º 1127.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis abbati et conventui monasterii s. Cucuphatis ordinis s. Benedicti salutem et apostolicam benedictionem. Iustis petencium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum et vota que a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter dilecti in Domino filii vestris iustis postulacionibus grato concurrentes assensu s. Petri et s. Severi ecclesias cum pertinenciis suis quas per quinquaginta annos pacifice vos dicitis possedisse, possessiones redditus ac alia bono-vestra sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis vobis et per vos ipsi monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino... Si quis autem...

Dat. Laterani x.º kal. maii pontificatus nostri anno quarto.

1305.

1232, abril 9.

El rey Jaime I dispone que el Monasterio no sea responsable de las deudas privadas de sus monjes.

EDIT.: HUICI, *Col. Diplomática*, n.º xcvi. — SEGURA, *Historia*, i, 47.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 137 (n.º MCXLIV). — CARRERAS, *Argentina*, 27. — PERAY, *S. Cugat*, 129. — RIBERA, *Genealogía*, 163.

A. C. A., *Cart.*, f. 411 v, n.º 1201.

In Christi nomine sit notum cunctis quod nos Iacobus Dei gracia rex Aragonum et regni Maioricarum comes Barchinone et Urgelli et dominus Montispessulani. Attendentes quod tunc officii nostri debitum laudabili prosequimur accione cum unicuique suam iusticiam conservamus ac licet ex regiminis nostri officio teneamur quoslibet in suis petitionibus exaudire viris tamen religiosis ac illis precipue tenemur graciosius et volumus liberalius providere quos in Dei et nostro servicio novimus existere promptiores. Relatum quidem est nobis quod in monasterio s. Cucuphatis quedam prava et detestanda consuetudo hactenus inolevit que corruptela debet potius nominari ut si abbas sine conventu vel aliquis monachus qui honorem teneret in requisito conventu pariter et abbate se in aliqua peccunie summa creditoribus obligaret per inde compellebatur monasterium a vicariis et baiulis nostris ad huiusmodi debitum exsolvendum ac si prelatu set totum capitulum consensisset excepcione de minore parte capituli non admitta quare ipsum monasterium ab inmensa multitudine debitorum pene penitus est absortum super quo ipsius loci abbas sibi petit et monasterio provideri. Ipsius igitur nececitatibus volentes ex officii nostri debito providere ac eius minas quasi quadam manu sollicitudinis sublevare cum hoc presenti privilegio perpetuo valituro eidem abbati et monasterio duximus indulgendum quod

nunquam monasterium pro aliquo debito obligetur nisi auctoritate abbatis et maioris ac sanioris partis capituli sit contractum nec ratione debiti aliter contracti ipsum aliquis audeat convenire vel etiam compellere ad solvendum. Volumus igitur et mandamus omnibus vicariis et baiulis nostris per Cataloniam constitutis quod hanc concessionis nostre paginam per vicarias sive baiulias suas faciant publicari ne quis ex hoc *se* per ignoranciam valeat excusare. Quicumque igitur post... Si vero aliquis...

Date apud Barchinonam v.º idus aprilis anno Domini MCCXXX.º secundo.

S+m Iacobi, Dei gratia regis Aragonum et regni Maioricarum comitis Barchinone et Urgelli et domini Montispesulani. Huius rei testes sunt dompnus Ff. infans Aragonum, Guillelmus de Montcada, Bernardus de s. Eugenia; Bernardus de Foxano; Bernardus de Portella; Assallitus de Gual; Ff. Periz de Pina, A. de las Ceylas.

S+m Guillelmi, scribe qui mandato domini regis pro Guillelmo de Saia, notario suo hoc scribi fecit...

1306.

1232, septiembre 21.

El juez Ramón de Riera revoca una sentencia de Guillermo Rubí y condena a Ponce de Bellveí a pagar diezmo de un molino.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi. 137-8 (n.º MCXLV). — MIRET, *Escolares*, 152.
A. C. A., Cart., f. 419, n.º 1232.

Cum lata esset sententia a Guillelmo Rubeo de Villafrancha in causa que vertebatur inter domnum abbatem s. Cucuphatis et Heliam, procuratorem suum, ex una parte, et Poncium de Pulcrovicino, ex alia, super petitione decime cuiusdam molendini, quam decimam dictus abbas s. Cucuphatis ad se pertinere dicebat, eo quia in tota ipsa terra recipit decimas s. Cucuphatis domus; pars vero Poncii de Pulcrovicino sic excipiebat dicens domnum abbatem habere terciam partem in illo molendino ratione domini et cum domus s. Cucuphatis stabilivit ei molendinum ad tercium, non retinuit ibi decimam, propter quod videtur quod decima illa contineatur in suo tercio cum minus insit semper maiori: unde visis allegacionibus utriusque partis ab ipso Guillelmo Rubeo in cuius posso dicta causa vertebatur, dictus Guillelmus domnum abbatem et Heliam, procuratorem suum, sentencialiter condempnavit; a qua sententia supradictus abbas, procurator suus, appellaverunt. Ego igitur Raimundus de Riaría, iudex constitutus in hac appellacione a domno abbate s. Cucuphatis, visis et auditis racionibus et allegacionibus utriusque partis et instrumentis ab utraque parte productis, habito consilio sapientum, de iure infirmo sententiam Guillelmi Rubei et adiudico decimam dicti molendini domno abbati s. Cucuphatis. Item adiudico Poncio de Pulcrovicino, pro expensis, duodecim solidos, si iurarent ipsos expendisse, eo quod non poterat redire ad domum suam eadem die. Item salvo ei questione super aquam molendini quod possit petere sub alio iudice aquam supradictam.

Hec est lata sententia xi.º kal. oct, a.º Domini mcc. tricesimo secundo.

S+m Raimundi de Riera, iudicis dati a domno abbate s. Cucuphatis.

S+m Romei de s. Cucuphate, acoliti, notarii publici Barchinone, qui hoc...

1307.

1232,

septiembre 25.

El juez Geraldo de Sagas confirma la sentencia del juez Ramón de Riera.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 138 (n.º MCXLVI).
A. C. A., Cart., f. 419v, n.º 1233.

Cum lata esset sententia a Raimundo de Riaria, iudice dato a domno Petro, abbate s. Cucuphatis, ut patet in eadem sententia appellacionis quam fecit Poncius de Pulcrovicino super petitione decime cuiusdam molendini, quam decimam dictus abbas s. Cucuphatis asserit ad se pertinere. Iterum Poncius ab eadem sententia Raimundi de Riaria appellavit. Ego ergo Geraldus de Sagacon iudex constitutus in hac causa appellacionis a domno abbate s. Cucuphatis visis et auditis rationibus et allegacionibus utriusque partis et instrumentis ab utraque parte productis et diligenter perlectis habito prudentum consilium de iure pronuncio sententiam a Raimundo de Riaria latam in hac causa iustam fore et ipsam approbo penitus et confirmo condempnando ipsum Poncium dicto abbati prout ipse in eadem sententia condempnavit et nunc ultra id ipsum Poncium abbati condempno in expensis legitimis et moderatis quas dictus abbas fecit in prosequendo dicti Poncii appellacionem.

Datum vii.º kal. october anno Domini MCCXXX.º secundo.

S+m Geraldí de Sagas.

S+m Petri de Bages, notarii publici Barchinone, qui hec scribi fecit...

1308.

1232, octubre 5.

Guillermo de Montclús y su esposa renuncian a una parte de la vendimia del diezmo del Monasterio que se recibía en las parroquias de Santa María y de San Esteban de Palau, por 190 sueldos que reciben del cenobio.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 138-9 (n.º MCXLVII).
A. C. A., Cart., f. 417, n.º 1221.

Sit omnibus notum quod ego Guillelmus de Montecluso, et donna Geraldá, uxor mea, per nos et per omnes nostros presentes atque futuros, concedimus et recognoscimus vobis domno Petro, Dei gratia abbati s. Cucuphatis, et conventui eiusdem vobis comisso, quod iniuste et sine ratione consuevimus accipere in decimali s. Cucuphatis, quod est in parrochiis s. Marie de Palacio ets. Stephani de Palacio, sive in aliis locis, in convicinitate earundem parrochiarum, sistellas vindemie; unde apud Deum et homines penitet nos accepisset dictas sistellas et cum hoc publico instrumento perpetuo valituro, sive iuste vel iniuste, nos vel nostri an[te]cessores acceperimus ex certa sciencia, ob remedium...diffinimus in perpetuum et remitimus vobis dicto abbati et domui s. Cucuphatis et omnibus hominibus presentibus atque futuris, sive sint de vero dominio sive de alio qui tenent vineas sive terras dicti decimalis et illis qui fecerint vineas in vestro decimali omnes dictas sistellas et quicquid ratione earum vel aliis modis possemus petere vel exigere quoquo modo in

dicto decimali, sic quod nunquam nos vel nostri possimus dictas sistellas vel aliquid pro eis vel aliquid aliud petere vel exigere in iam dicto decimali, facientes vobis et dictis hominibus super omnibus hiis finem et pacte de non petendo, sicut melius dici... Recipientes a vobis propter hoc cxc solidos denariorum Barchinonenses; renunciantes excepcioni non numerate pecunie, quos nos concedimus habuisse. Ne vero nos possimus vel possit aliqua persona, nomine nostro, unquam vos vel vestros de non numerata pecunia convenire vel venire contra aliqua de predictis, renunciamus quantum ad hec excepcioni pecunie non numerate et omni iuri et rationi propter quem possemus predicta vel aliqua de predictis in totum vel in partem in irriter revocare.

Actum est hoc iii. nonas octobris, a.º Domini MCCXXX secundo.

S + m Guillelmi de Montecluso; S + m Geralde, uxoris eius, nos qui...; S + m Ferrarii de Caneto; S + m Petri de Palacio; S, + m Bertrandi de Fonte, nos omnes qui vidimus firmare et laudare predicta omnia ad Guillelmum de Montecluso; S + m Berengarii de Solario; S + m Petri de Montepalacii, nos qui vidimus firmare et laudare predicta omnia ad predicte Geralde; S + m Guillelmi de Olleta; S + m Petri Geraldi; S + m Bernardi de Nogaria; S + m Petri de Olina; S + m Ferrarii de Ribalta, huius rei testes; S + m Berengarii, clerici et rectoris ecclesie s. Marie de Palacio, ss.; S + m Arnaldi, sacerdotis et clerici s. Stephani de Palacio; S + m Gilelmi, presbiteri et clerici s. Stephani de Palacio; S + m Petri Armigerii, baiuli de Guillelmo de Monteduso. S + m Guillelmi, sacerdotis, qui hoc scripsit...

1309.

1232, octubre 5.

Pedro de Palau, por 200 sueldos, renuncia a una parte de la vendimia del diezmo de las parroquias de Santa María y San Esteban de Palau.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 139 (n.º MCXLVIII). — HIn0JOSA, *El régimen*, 262, nota i. A. C. A., Cart., f. 417, n.º 1222.

Sit omnibus notum quod ego Petrus de Palacio, per me et per omnes meos presentes atque futuros, concedo et recognosco vobis domno Petro, Dei gratia abbati s. Cucuphatis, et conventui eidem vobis comisso, quod iniuste et sine ratione consuevimus accipere in decimali s. Cucuphatis, quod est in parrochiis s. Marie de Palacio et s. Stephani de Palacio sive in aliis in convicinitate earundem parrochiarum sistellas vindemie unde apud Deum et homines penitet me accepisse dictas sistellas et cum hoc publico instrumento perpetuo valituro sive iuste sive iniuste me vel meis an[te]cessores accepimus ex certa sciencia ob remedium animarum mearum, diffinio in perpetuum et remito vobis dicto abbati et domui s. Cucuphatis et hominibus presentis atque futuris, sive sint de meo dominio sive de alio, qui tenent vineas sive terras dicti decimali et illis qui fecerint vineas in vestro decimali, omnes dictas sistellas et quicquid ratione earum vel aliiis modis possim petere vel exigere quoquomodo in dicto decimali, sic quod nunquam ego vel meis possim dictas sistellas vel alique pro eis vel aliquid aliud petere vel exigere in iam dicto decimali, iacentes vobis et dictis hominibus super omnibus hiis finem et pacte de non

petendo, sicut melius... Recipio a vobis propter hoc cc solidos denarioium Barchinonenses. Renunciando excepcioni non numerate peccunie, quos ego concedo habuisse. Ne vero ego possim vel possit aliqua persona, nomine meo, unquam vos vel vestros de non numerata pecunia convenire vel venire aliqua de predictis, renuncio quantum ad...

Actum est hoc iii.º nonas octobris, a.º Domini MCCXXX.º secundo.

S + m Petri de Palacio; S + m Ermessendis, sororis eius, qui hoc firmamus...; S + m Ferrarii de Caneto; S + m Guilielmi de Montecluso; S + m Bertrandi de Fonte; S + m Arnaldi de Palacio; S + m Berengario de Solano; S + m Petri de Monte Palacii; S + m Guillelmi de Olleta; S + m Petri; S + m GERALDI de Olleta; S + m Ferrarii de Ribalta, huius rei testes; S + m Guillelmi, presbiteri, s. Cucuphati de Palacio; S + m Arnaldi, sacerdotis et clerici s. Cucuphati de Palacio; S + m Bernardi de Nogaria.

S + m Guillelmi, sacerdotis, qui hoc scripsit...

1310.

1232, diciembre 19.

María y Pedro Adard, cónyuges, venden al abad Pedro el manso Adard, sito en "Aqualonga", por 670 sueldos barceloneses.

REGESTA : MAS, *Notes*, vi, 139-40 (n.º MCXLIX). — HINOJOSA, *El régimen*, 146, nota i. A. C. A., Cart., f. 418, n.º 1226.

Notum sit cunctis quod nos Maria Adarda et vir meus Petrus Adardus, concedimus et recognoscimus vobis Petro, Dei Gratia s. Cucuphatis abbati et Arnaldo de Gillida, tenenti locum cellarii, quod multociens amonuitis nos quod solveremus nos censum et alia debita servicia que pro manso Adardo monasterio s. Cucuphatis tenemur facere et etiam ut excoleremus sive laboraremus congrue dictum mansum; et super hoc nos requisivistis et in causam traxistis, quod nos tenti pre nimia paupertate aliquo modo nequivimus adimplere; unde cum nos aliquo modo dictum censum et servicia, que ratione dicti mansi tenemur facere, vobis non possimus solvere neque etiam excolere dictum mansum, et propter hoc vobis et dicto monasterio teameur in magna quantitate debiti oportuit nos ad vendicionem dicti mansi. Qua propter nos dicti Maria Adarda et vir meus Petrus Adardus, non dolo, non vi, non metu seductu, nec in aliquo circumventi, set bono animo et mea voluntate, vendimus vobis Petro, Dei gratia s. Cucuphatis abbati et Arnaldo de Gelida, tenenti locum cellarii et omni conventui eiusdem loci et monasterios. Cucuphatis, totum nostrum mansum Adard, integriter, quem per vos et per monasterium s. Cucuphatis tenemus in parrochia s. Petri de Octaviano. Predictum itaque mansum integriter, cum omnibus pertinentiis et tenedonibus ac possessionibus, cultis et incultis, dicto manso pertinentibus vel pertinere debentibus, cum alodiis et cum franchedis et cum omnibus tenedonibus et possessionibus, quas per nos vel per alios seniores habemus et tenemus in parrochia s. Petri de Octaviano et in parrochia s. Cipriani de Aqualonga, sive in aliis parrochiis per omnia loca ubicumque sint longe vel prope in separatis locis cum omnibus directis et rationibus et iuribus et vocibus et locis et actionibus, realibus et personalibus, que nos ibi habemus et habere debemus ali-

quibus modis vendimus vobis predictis et monasterio s. Cucuphatis in perpetuum et indivisibler per nos et per omnes nostros presentes et futuros et de... posse predicta omnia eicimus et cum hoc publico instrumento perpetuo valituro vobis et dicto monasterio in vestrum ius et dominium et posse mitimus et liberamus; et mitimus inde vos et dictum monasterium in corporalem possessionem, tamquam in rem vestram, ad habendum et tenendum et omni tempore in sana pace possidendum ut melius dici; et semper nos et nostri teneamur inde vobis et dicto monasterio de eviccionem super omnes res nostras, mobiles et immobiles, habitas et habendas. Cedendo etiam vobis predictis et illis cui vos dederitis sive stabilieritis supradictum mansum omne ius, naciones, acciones, voces reales et personales, quod vel quas nos habemus vel exercere aliquo modo possimus contra illos quibus nos vendimus honores sive possessionibus nostras et vos et illum cui vos dederitis vel stabilieritis supradictum mansum procuratores tanquam in rem vestram facimus et statuimus. Et per hanc vendicionem accepimus a vobis de bonis predicti monasterii DCXXX solidos denariorum monete Barchinone valente marcha argenti LXXXVIII solidos, ex quibus a vobis numerando nostris propriis manibus recepimus xc solidos et solvistis per nos Guillelme, uxori Ferrarii de Mico, CLX et i solidos, quos nos tenebamus ei solvere racione sui sponsalicii; et preter hos ducentos LI solidos teneamini solvere omnia nostra debita que nos modo debemus aliquibus personis, cum cartis et sine cartis, que debita sunt cccix solidos dando et remitendo vobis predictis et dicto monasterio, si quid hec vendicio modo plus valet vel amodo valebit precio prenominato. Ne vero aliquis nostrum vel aliqua persona interposita per nos contra predicta vel aliquod predictum veniamus vel venire faciamus omni, iuri scripto et non scripto, divino et humano, publico et privato et epistole divi Adriani et ocasioni vel racioni duplicis deceptionis et omni consuetudini atque constitutioni nove vel veteri quantum ad predicta novis vel nostris competentis per nos et per omnes nostros presentes et futuros scienter, prudenter et consulte et ex certa sciencia penitus renunciamus. Demum nos ambo prenominati Maria Adarda et vir meus Petrus Adardus, iuramus in animas nostras per Deum et hec sancta im Dei Evangelia, nostris manibus corporaliter tacta, quod nunquam...

Actum est hoc xiiii.º kal. ian. a.º Domini MCCXXXII.º

S + m Marie Adarde; S + m Petri Adardi, viri eius, qui hec omnia...; S + m Guillelmi Ade; S + m Maioli; S + m Raimundi de Mora; S + m Arnaldi de Figeris; S + m Berengarii Aledis, huius rei testes.

S + m Benedicti, clerici de Valdaurex, qui hoc scripsit...

1311.

1233, enero 17.

Gregorio IX confirma las posesiones del Monasterio y el molino de Pedrige, de la parroquia de Santa María de Palau, que se proponen adquirir.

REGESTA: MAS, v, 70 (n.º DLXVI). — KeHr, Papsturk., i, 61, nota 2. — Potthast, n.º 9135.

A. C. A., Cart., f. 419, n.º 1234.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis abbati et conventui monasterii s. Cucuphati ordinis s. Benedicti. Salutem et apostolicam bene-

diccionem. Cum a nobis petitur quod iustum est exhonestum tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum producat effectum ea propter dilecti in domino filii vestris iustis postulacionibus grato concurrentes assensu molendinum de Fedrige ac annum redditum quem in ecclesia s. Marie de Palatio canonice vos proponitis obtinere ac alia bona vestra sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis vobis et per vos, monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio comunimus. Nulli ergo omnino...

Dat. Anagnie. xvi. kal. febroarii pontificatus nostri anno sexto.

1312.

1233, enero 23.

Arnaldo de Guardia da al Monasterio un manso que posee en Cremades, en la parroquia de San Cugat de Ruvires, reservándose durante su vida el agrario. Exceptua de la donación un trozo de tierra que Bernardo Julián dió a su esposa Arnalda en concepto de exovar.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 136 (n.º MCXlii1).

A. C. A., *Cart.*, f. 407v, n.º 1187.

In Dei nomine. Notum sit cunctis quod ego Arnaldus de Guardia, gratuita et bona voluntate, ob remedium... et domne Guillelme de Castro Vetero filii-que sui domni Guillelmi de Montecatano et omnium fidelium virorum et mortuorum, in manu domini Petri abbatis et tocius conventui sui dono et offero atque in presenti irrevocabiliter inter vivos trado ac penitus in perpetuum delibero Domino Deo Iesuchristo et genitrici eius Marie et beati martiri s. Cucuphati et monasterio suo et fratribus mei et ibi servientibus, mansum unum, cum tenedonibus et pertinenciis suis, quibus donacione et laxacione antecessorum meorum et laudacione et concessione dicte domine Guillelme de Castroveteri et domini Guillelmi de Montecatano, quibus requies sit, habeo et teneo pro libero et francho alodio in comitatu Barchinone, et in termine de Castroveteri, in parrochia s. Cucuphati de Ruviris, in loco nominato Cremades. Dictum mansum, cum tenedonibus terminis et affrontacionibus, introitibus et exitibus suis, cum omnibus infra se habentibus ibique mihi pertinentibus et pertinere debentibus, censibus et agrariis, cum hominibus et feminibus, qui et quas ipsum mansum et in ipso manso tenent pro me, et cum senioratico et ius quod in ipsis habeo et habere debeo, totum dono et trado offero atque in presenti inter vivos irrevocabiliter penitus delibero in manu predicti domni abbatis et conventui sui eidem monasterio et fratribus ibi et inde servientibus procuratores, ut de suo proprio ad habendum... Tamen in hac donacione non intelligatur quadam pedam terre quam Bernardus Iulianus dedit sorori sue Arnalde in die nupciarum pro suo exovario. Retineo namque et accipio pro manu dicti abbatis et conventui sui tantum in vita mea usumfructum agraria ipsius mansi et suarum tenedonum sicut homines ipsius mansi et Berengarius de Cheruces et Lobetus Guilabertus tenent ibi. Et post obitum meum vel in vita consolvere voluero, restituatur atque perveniat totum in manu predicti abbatis et sepedicto monasterio, sed census predicti mansi,

scilicet annuatim iii solidos istius monete, accipiat in pace et pro sua tenedone dictus abbas sive monasterium pro emendacione et recepcione quam ego facio de predictis agrariis. Si quis contra...

Quod est actum x.º kal. febr., a.º Christi MCCXXX.º secundo.

S+m Arnaldi de Guardia, qui hoc laudo et firmo; S+m Raimundi de Voltraria; S+m Petri de Sparagaria; S+m Ferrarii de Insulis; S+m Guilhelmi de Rubi; S+m Petri de Rocha; S+m Nicolay de Noger; S+m Berengarii Eraldi.

S+m Arnaldi, presbiteri s. Stephani, qui hoc notavit...

1313.

1233, febrero 18.

Gregorio IX recibe bajo su protección el Monasterio y las iglesias de Calders, Albiñana y Santa Oliva.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 141 (n.º MCLII). — PERAY, *S. Cugat* 130, KEHR, A. C. A., *Cart.*, f. 418 v, n.º 1229.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis . — abbati et conventui monasterii s. Cucuphatis ordinis s. Benedicti, Barchinonensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Sacrosanta Romana eclesia devotos et humiles filio ex assuete pietatis offensio propensius diligere consuevit et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater sue protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulacionibus, grato concurrentes assensu, personas et monasterium vestrum cum omnibus bonis que in presenciarum racionabiliter possidet aut in futurum iustis modis prestante domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem s. Salvatoris de Calderio, s. Bartholomei de Albiniana et s. Iuliani de s. Oliva ecclesias, cum pertinenciis earundem, a diocesanis episcopis, de capitulorum suorum assensu, nec non libertates ac immunitates secularium exactionum a regibus, principibus aliisque Christi fidelibus vobis et monasterio vestro, pia et provida liberalitate, concessas ac alia bona vestra sicut ea omnia iuste ac pacifice optinetis, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino... Si quis autem...

Dat. Anagnie, xii.º kal. marcii, pontificatus nostri anno sexto.

1314.

1233, marzo 31.

El papa Gregorio IX escribe a los abades de Fontfreda, de Ripoll y de San Benito de Bages, que obliguen a! obispo de Barcelona que abandone las pretensiones que tenía sobre el Monasterio.

EDIT.: MANRIQUEZ, *Ann. Cisterc.*, iv, 465, fragmento.

REGESTA: MAS, *Notes*, v, 71 (n.º DLXVII). — PERAY, *San Cugat*, 114. — KEHR, *Papsturkunden*, i, 61, nota 2, y 62.

A. C. A., *Cart.*, f. 389, n.º 1133, y f. 426, n. 1253.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis. Fontisfrigidi Cisterciensis ordinis . . Rivipollensis . . et s. Benedicti de Bagis abbatibus Narbonensis et Vicensis diocesis salutem et apostolicam bendicionem. Ad audien-

ciam nostra noveritis pervenisse quod cum monasterium s. Cucuphads situm in diocesi Barchinone iuris et proprietatis apostolice sedis existat venerabilis frater noster . . . Barchinonensis episcopus in eodem monasterio indebitam sibi iurisdictionem usurpans ab . . . abbate eiusdem monasterii in preiudicium ecclesie romane sibi facit obedienciam et reverenciam exhiberi pro sue libito voluntatis. Cum igitur nos non deceat ut apostolice sedis iura cui auctore domno presidemus per alicuius usurpacionem temerariam minuantur conniventibus occiis pertransire discrecioni vestre pro apostolica scripta mandamus quatinus inquisita super hoc et cognita plenius veritate dictum episcopum ut ab huius presumpcione penitus conquiescat monicione premissa auctoritate nostra sublato appellacionis obstaculo sicut iustum fuerit compellatis. Testes autem qui fuerint nominati si se gracia, odia vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellacione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Date Laterane n.º kal. aprilis pontificatus nostri anno septimo.

1315.

1233, abril 20.

Raimundo y Geraldo Ferrer definen al abad del Monasterio "la fábrica" de Apierola, por 201 sueldos de "duplenco".

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 142 (n.º MCLIV).

A. C. A., Cart., f. 405, n.º 1178.

In Christi nomine. Sit notum cunctis quod ego Raimundus Ferrarius non coactus... sed excerta scientia et ob remedium anime meei et Geraldi Ferrarii, fratris mei... et specialiter pro illo maleficia quod vobis Petro, Dei gratia abbati s. Cucuphatis et domui vestrei feci racione illius fabrice de Apierola, per me et dictum fratrem meum absolvo, diffimio, remito et evacuo vobis Petro, Dei gratia abbati s. Cucuphatis, et toto eiusdem conventui et successoribus vestris in perpetuum, illam fabricam antedictam de Apierola. Predictam autem fabricam absolvo, diffinio, remito et evacua vobis et successoribus vestris in perpetuum, sicut melius ego et dictus frater meus ipsam habemus vel habere debemus racione paterna vel materna vel aliqua alia racione, prout melius... Et sic de meo iure et dominio et dicti fratris mei in ius et dominium vestrum et successorum vestrum ipsam trado, transfero et transmito et in corporalem possessionem vos inde mito cum hoc publico instrumento perpetuo valituro. Promitens etiam vobis et successoribus vestris quod si Bernardus, frater meus, aliquo tempore vos vel successores vestros convenit super fabrica supradicta et in iure a vobis vel a successoribus vestris inde aliquid lucratus fuerit, illud vobis et successoribus vestris incontinenti tenear reficere et emendare de quo credatur vobis et successoribus vestris, plano et simplici verbo et absque omni sacramento et placito, et hoc totum habeatis super omnes res meas in quibus melius accipere volueritis. Confiteor etiam me recepisse a vobis pro hac absolucione et diffinicione ducentos et unum solidum Barchinone monete curribilis de duplenco, de quibus a vobis sum bene paccatus. Et ideo renuncio excepconi non numerate ac non recepte peccunie

et non soluti precii et omni alii iuri et excepcioni michi in hoc competentibus vel unquam competituris et omni iuri novo et veteri scripto et non scripto et omni auxilio et beneficio legis et consuetudinis et constitutionis facte et faciende et doli clausule et circumvencionis. Preterea promito vobis et successoribus vestris, sub obligacione omnium bonorum meorum, quod cum Geraldus Ferrarius, frater meus venerit, faciam ei firmare istud instrumentum et ei habere ratam et firmam absolucionem supradictam.

Actum hest hoc xii. kal. madii, a.º Domini MCCXXX.º tercio.

S+m mei Raimundi Ferrarii, qui hoc firmo et laudo et firmari a testibus rogo; S+m Bemardi de Torreseles; S+m Bertrandi de Vespela; S+m Poncii de Buzach; S+m Dei Amici, testium; S+m Raimundi, presbiteri, in cuius manu firmavit hanc cartam Dulcia de Puio; Ego Petrus Bonelli hoc S+m impono.

S+m Guillelmi Ariol, qui hoc scripsit mandata Petri Borrelli...

1316.

1233, agosto 4.

Bernardo "Faber", hermano de Raimundo y Geraldo (véase el número anterior), renuncia y define al abad la misma "fábrica" de Apierola.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 143 (n.º MCLVI).

A. C. A., Cart., f. 405 v, n.º 1180.

Notum sit cunctis quod ego Bernardus Faber, de Arbucio, per me et meos, solvo diffinio et evacuo vobis Bertrando de Serriano, procuratori domus s. Cucuphatis omni tempore, omne ius, voces et acciones quod vel que mihi competent vel competere possunt aliquo modo in fabrica de Apierola et in omnibus suis pertinenciis, sub tali vero condicione et forma solvo, diffinio et evacuo supradictam fabricam, cum omnibus suis iuribus, ut nunquam decetero possim in ea vel per eam aliquid petere vel exigere vel aliquam personam domus s. Cucuphatis in causam habere, super qua diffinicionem, solucionem et evacuacionem renuncio omni iuri sive racioni quod vel que pro me introduci possit.

Actum est hoc ii55.º nonas augusti, a.º MCCXXX.º tercio.

S+m Bernardi Fabri, qui hoc laudo et firmo; S+m Guillelmi Rubei; S+m Frumini de Palanco; S+m Petri Poncii, testium.

S+m Berengarii de Rehes, notarii publici Arbucii vice domini regis qui hec scripsit...

1317.

1233,

agosto

6.

Adelaide de Claramunt, con su hijo Raimundo, y Bernardo de Canals, venden al abad Pedro el diezmo que poseían en la parroquia de Ripollet, y todas las pertenencias del manso de Alerán de Valldoreix y del manso "Materino", de Villade Milanys, por 500 sueldos barceloneses.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 143-4 (n.º MCLVII).

A. C. A., Cart., f. 414v, n.º 1212.

Sit notum omnibus quod ego Adalaidis de Claromonte et filius meus Raimundus de Claromonte, et ego Bernardus de Canalibus, vendimus per nos et

nostros, vobis Petro, Dei gratia abbati, et monasterio s. Cucuphatis, in perpetuum, totum decimum quod ego Adalaidis et Raimundus de Claromonte, filius meus, tenemus per dictum monasterium et ego Bernardus de Canalibus teneo illud per ipsam Adalaidem et Raimundum de Claromonte in parrochia s. Stephani de Ripolleteo. Item vendimus vobis dicto abbati et monasterio totum quantum habemus et habere debemus in manso de Aleran, qui est in parrochia s. Cipriani de Valledaurexio et s. Petri de Rubi et totum quantum habemus et habere debemus in manso de Materino, qui est in Parrochia s. Felicis de Villa Mille annorum cum Bernardo Umberto. Iamdictum itaque decimum, panis scilicet vini carniū et aliarum rerum atque illud decimum pertinecium et quicquid et quantum habemus et habere debemus in predictis duobus mansis, quibuscumque modis, cum omnibus locis. iuribus, vocibus et accionibus que in hiis vel pro hiis nobis competunt aut debent vel possunt competere, vendimus vobis dicto abbati et monasterio s. Cucuphatis et conventui eiusdem presenti atque futuro per nos et nostros et ut melius dici. Nos extrahentes hec de nostro nostrorumque iure dominio et posse transferimus irrevocabiliter inducentes vos domnum abbatem et monasterium de presenti in corporalem possessionem pleno iure tanquam in rem vestram propriam ad habendum... sine ullo nostro... Pro hac autem vendicione recepimus a vobis quingentos solidos denariorum Barchinonenses valentibus LXXXVIII solidos marcham argenti. Quos nos habuisse concedimus. Ne vero occasione vel accione duplicis enganni vel modis aliis nos possimus vel possit aliqua persona, nomine nostro, unquam contra hanc vendicionem venire nec vos vel successores vestros de non numerata peccunia convenire, renunciamus. quantum at[que] hec, scienter et consulte dicte occasioni et accioni et excepcioni peccunie non recepte et omni iuri canonico ac civili, communi et singulari publico et privato scripto et non scripto sive consuetudinario et specialiter accioni reicessorie et beneficio legis gotice et usaticorum Barchinone et generaliter omni iuri tam promulgato quam promulgando, dando et cedendo vobis et vestris successoribus, si quid hec vendicio plus modo valet vel a modo valuerit precio antedicto. Insuper quisque nostrum pro toto promittimus vobis et successoribus vestris salvare totam predictam vendicionem et esse inde vobis et eisdem successoribus vestris legales guarentes auctores et deffensores et quod teneamur inde vobis et successoribus vestris semper de firma et legali eviccione et restituamus vobis et iam dictis vestris successoribus si quas missiones unquam feceritis in evincendo vel causam eviccionis examinando. Et pro hiis complendis et attendendis obligamus quisque pro toto vobis abbati et conventui s. Cucuphatis nos et omnia bona nostra mobilia et immobilia in que melius accipere volueritis, sine vestro dampno. Intelligatur tamen quod servitium quod nos tenemus facere dicto monasterio tam pro hoc decimo quam pro aliis honoribus, quos tenemus per dictum cenobium, non possit propter hoc diminui vel in aliquo deperiri; ymmo illud totum servitium promittimus facere integriter.

Actum est hoc octavo idus augusti, a.º Domini MCCXXX.º tercio.

S+m Adalaydis de Claromonte; S+m Raimundi de Claromonte, filii eius;
S+m Bernardi de Canalibus, predictorum, qui hec laudamus et firmamus;
S+m Bernardi de Orta; S+m Arssendis de Rochamura, filia qd. Petri de
Rochamura, nepte Petri de Canalibus, nepoteque Bernardi de Canalibus, quod
hec predicta laudo et firmo; S+m Benedicti, presbiteri, clerici de Valdaurex,

in cuius posse predicta Adalaydis de Claromonte firmavit hanc cartam; S+m Petri Granelli, clerici Chapellano de Altofolio, in cuius posse Arsendis, filia Petri de Rochamora, olim defunctus, necta Petri de Canals, nepota Bernardus de Chanals, hanc cartam firmavi; S + m Petri Ferrarii; S + m Barnardi de Portu; S + m Raimundi Triponis; S + m Guillelmi Pelliparii.

S+m Petri de Bages, notarii publici Barchinone, qui hec scribi fecit...

1318.

1233, agosto 14.

El rey Jaime I confirma la exención de justicias v caloñas concedida al Monasterio.

EDIT.: HUICI, *Colec. Diplomática*, n.º cxvii.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 144 (n.º MCLVIII).

A. C. A., Cart., f. 413, n.º 1203.

Iacobus Dei gracia rex Aragonum et regni Maioricarum comes Barchinone et Urgelli et dominus Montispesulani fidelibus suis vicario baiulo Barchinone et universis aliis per totam Cataloniam constitutis presentibus literas inspecturis. Salutem et gratiam. Recordantes instrumentum quod ad salutem anime nostre abbati et conventui s. Cucuphati fecimus de absolutione videlicet iusticiarum et calumpniarum quecunque ipsi aliquem traherent in causa vel aliquis ipsos volumus firmiter et districte precipiendo mandamus quatinus visis litteris decetero privilegium illud in omnibus servetis et servari faciatis et non veniatis contra ipsum...

Data apud Villamfrancham xviii.º kal. septembris anno Domini MCCXXX.º tercio.

1319.

1233, agosto 25.

Bernardo de Riusech reconoce que posee en feudo del Monasterio varios mansos sitos en Beters y en Codonyers, y en Polinyá, y un molino en Riusech, y otras propiedades. Igual reconocimiento habla hecho su padre Arnaldo el 20 de abril de 1206 y repitió su hijo Bernardo el 25 de abril de 1233.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 145 (n.º MCLx).

A.C.A., Cart., f. 416, n.º 1218.

Sit notum cunctis qti od ego Bernardus de Rivosicco, confiteor et recognosco me tenere et habere in feudum per monasterium s. Cucuphatis ipsum mansum Geraldí de Petra, cum omnibus terminis et affrontacionibus suis et cum omnibus ad eundem spectantibus ubique. Et ipsum mansum Bernardi de Fonte, cum omnibus ad se pectantibus ubique, sine omni diminucione. Et ipsum mansum Petri Iohanne, integriter, quem Dominicus Belloti tenet per me, cum vineis et cum omnibus ad fundem spectantibus ubique. Et ipsum mansum Berengarii Sinfredi, et ipsum mansum quem Raimundus de Laceres tenet per me, apud Beters, cum omnibus ad eosdem pertinentibus ubique. Et ipsum alium man-

sum, qui est apud Codonyers, quem Ermessendis de Vallemoronta solebat tenere per me integriter. Et in parrochia s. Salvatoris de Poliniano unum mansum cum omnibus aliis honoribus, quos ibidem habeo. Et ecclesiam s. Martini de Poliniano, et apud Rivumsiccum unum molendinum et unam pariliatam et diversos ortos qui sunt impetu aquarum penitus destructi et per alluvionem mutati, et unum campum de fabrica iuxta ecclesiam s. Pauli de Rivosicco; et unam albergam in ipsa domo de Rivosicco; et totum illum honorem, integriter, quem Raimundus de Columbario tenet per donum de Rivosicco, in termino s. Marcialis. Hanc concessionem et recognitionem facio ego dictus Bernardus de Rivosicco, in presencia domni mei Petri, Dei gratia s. Cucuphatis abbatis, et Arnaldi de Rivosicco, fratris mei, et Dominici Belloti et Bernardi de Fonte Amantio et Berengarii de Aqualonga et Arnaldi de Figeriis et Berengarii Dalmacii de Aqualonga et aliorum proborum hominum.

Actum est viii.º kal. sept., a.º Domini MCCXXXIII.º

S + m Bernardi de Rivosicco, qui hoc firmo et concedo et laudo; S + m Arnaldi de Rivosicco; S + m Berengarii de Aqualonga; S + m Arnaldi de Figeriis; S + m Berengarii Dalmacii de Aqualonga, huius rei testes.

S + m Benedicti, clerici de Valdaurex, qui hoc scripsit...

1320.

1234, enero 23.

El rey Jaime I confirma todos los castillos y posesiones del Monasterio.

EDIT.: SEGURA, *Historia*, i, 47-8. — HUICI, *Col Diplomática*, cxxi.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 140 (n.º MCL). — CARRERAS, *Notes Sarriá*, 20, 45. — DURÁN, *Las relaciones*, 44. — PERAY, *S. Cugat*, 129-30.

A: Orig. A. C. A. Perg. Jaime I, n.º 512.

B: A. C. A., Cart, f. 412, n.º 1202.

In nomine Domini nostri, Iesuchristi. Nos Iacobus Dei gracia rex Aragonum et regni Maioricarum comes Barchinonensis et Urgellensis ac dominus Montispesulani damus concedimus et speciali nostra liberalitate confirmamus vobis venerabili Petro Dei gracia abbati s. Cucuphatis ominque conventui vobis comisso vestrisque successoribus in perpetuum villam s. Cucuphatis cum suis terminis que antiquitus vocabatur castrum Octavianum. Afrontat autem predictum castrum a parte orientis in termino s. Marcialis et in fonte de Berbers et in podio de Guardia et in Cerdaniola, a meridie in serra de Cerola et extenditur versus Cerdaniolam, ab occiduo in termino de Olorda et de Canals et castrum de Fumet quod in medio circumpositum iacet et extenditur in flumine de Rivorubeo, a circio in castro de Rivorubeo et in castro de Terracia et extenditur per sumitates serrarum usque in Rivosicco quod est alodium

Cucuphatis sicut genitores et antecessores nostri scilicet Suniarius comes Borrellus et Berengarius et Raimundus Berengarii et Ildefonsus et Petrus prelibato monasterio dederunt et confirmaverunt. Supradicta vero castra damus confirmamus cum decimis et primiciis et cum omnibus ad illa pertinentibus vel pertinere debentibus et cum mercato quod dominus rex s. Cucuphati dedit honores et redditus aquas et molendina in castro de Rivorubeo sicut tenetis et

habetis dominicaturam s. Felicis de Villa Mille Annorum cum terminis et afrontacionibus suis cum decimis et primiciis et cum omnibus ad se pertinentibus. Dominicaturam quam emit dompnus Odo abbas s. Cucuphatis cum omnibus ad se pertinentibus. Castrum de Malleatho quod antiquitus vocabatur Palatium Auditum sicut Suniarius et Borrellus comes monasterio predicto donaverunt et terminaverunt cum decimis et primiciis cum aquis et molinis sicut melius habetis et rebus ad se pertinentibus et Bellumvicinum cum omnibus ad se pertinentibus sicut in supradicto dono continetur honores et redditus quos domina comitissa iuxta radicem Montiscathani dedit Villamrafiam que nunc vocitata est Calciata cum rebus ad eosdem pertinentibus. Dominicaturam de Provinciana et de Banols cum decimis et rebus ad eosdem spectantibus, dominicaturam s. Baudilii de Corniliano s. Iohannis de Pinu s. Felicis s. Vincentii de Ortis de Gavano, Villa de Cans et in plurimis locis in Lupricato. Castrum Felix cum decimis et primiciis et terminis et cum omnibus ad eosdem honores pertinentibus sicut possideas et tenetis. Dominicaturam de Cervilione et de Valleirana cum terminis et afrontacionibus et decimis et rebus ad eosdem pertinentibus sicut Borrellus et Suniarius comes dedit monasterio s. Cucuphatis. Dominicaturam de turre Abbatais. Callifa et de Olivardari et de Duismo cum decimis et cum omnibus ad eosdem pertinentibus. Alodium et redditus domos terras quod et quos habetis in Barchinona et citra et domos vestras iuxta sedem Barchinone cum terminis et afrontacionibus eorum et cum omnibus ad se pertinentibus. Decinuum molendinorum de Cloto de Mel cum manso et tenedonibus eundem pertinentibus honores et redditus in Orta in Acutellis in Fonte Rubeo in monte Aguilar in colle de Portello in parrochia de Palomar in diversis locis in Bisocio in valle Mochosa in parrochia de Gracia Sancta de s. Columba in parrochia de Bitulona. Turrim Abbatalem de Bitulona cum omnibus ad eam pertinentibus, Castrum de Montecatho et dominicaturam de Thiana cum omnibus ad eosdem pertinentibus. Dominicaturam de Pedrenchs cum omnibus ad se pertinentibus. Dominicaturam s. Quirici de Terracia et s. Petri de Torrentibus cum decimis et primiciis, Remoluel Toldel cum decimis et primiciis et omnes honores et redditus infra castrum de Terracia et domos quas tenetis in Villa Palatii de Terracia cum omnibus ad easdem pertinentibus. Monasterium s. Laurentii de Alonte sicut habetis et tenetis et antecessores nostri duderunt predicto monasterio honores de Sabatello de Barberano et de Arraona cum omnibus ad eosdem pertinentibus. Dominicaturas s. Felicis de Castelar de Montemaiori de Calidis cum decimis et primiciis et cum omnibus ad easdem spectantibus. Dominicaturam de Plecamanibus cum omnibus ad se pertinentibus. Dominicaturam de Vilauzir et de Oronzana de Curtibus cum omnibus ad easdem spectantibus. Dominicaturam de Fadio et de Curtibus cum decimis et primiciis et pertinentiis eorum. Dominicaturam de Molleto et de Buada et de Oronzana et de Claresvals cum omnibus pertinentiis eorum. Dominicaturam de Riia cum pertinentiis suis. Dominicaturas s. Marie de Palatio Vilar Robert s. Stephani Ylela cum omnibus terminis et afrontacionibus cum decimis et primiciis et cum omnibus ad easdem pertinentibus sicut melius antecessores nostri dederunt predicto monasterio et tenetis et possidetis. Dominicaturam de Tapioles et de Olzinellis et de Valle Gregona cum decimis et primiciis cimi afrontacionibus et terminis et rebus ad easdem spectantibus et honores de s. Celedonio in diversis locis positus cum honoribus

de Teleda. Dominicaturam de Aqualba cum omnibus terminis et afrontacionibus et decimis et primiciis et cum omnibus ad se pertinentibus cum ipso honore de Adrobal. Dominicaturam de Mazanes cum omnibus ad se pertinentibus. Dominicaturam de Corniliano in Gerundensi in diversis locis cum rebus ad eosdem pertinentibus honores de Vico de Thona de Ausona cum omnibus ad se pertinentibus, honores de Minorisa de Castelnou de Villatorrada de Gamizans cum omnibus eisdem pertinentibus, honores et redditus de Mathero in diversis locis positos cum omnibus eisdem pertinentibus, decimas de Argenton et de Alela, castrum de Maschefa sicut terminatur ab oriente in rupe de Milayons et vadit per sumitatem illius terre que dicitur de Corvo et descendit per torrentem Moy usque ad ecclesiam s. Andree, a meridie in serra ubi dicitur Col de Portell sicut aque discurrunt versus Maschefam et versus Gelidam ab occiduo in via publica que vadit per ipsum Portellum sicut vadit ad aliam viam que vadit versus Apiariam sive in termino de Apiaria, a circio in Castelet et in Apierola cum decimis et primiciis et cum omnibus ad se pertinentibus et castrum de Castelleto cum decimis et cum omnibus ad se pertinentibus. Dominicaturam de Bedorch cum omnibus ad se pertinentibus. Dominicaturam de Munistrol et de Spiellis cum decimis et primiciis et leudas et mensuraiscum de rebus vestris et cum aqua que descendit per collem ante Munistrol per viam de Maschefa. Dominicaturam de Capellatis et de Aqualata cum terminis et afrontacionibus et cum decimis et primiciis. Fabricam de Apierola, castrum de Cleriana cum terminis et affrontacionibus cum decimis et primiciis et cum omnibus ad se pertinentibus. Dominicaturam s. Petri de Vim cum decimis et primiciis de Tarrega de Cervaria et redditus earum et in castro Odolino et in Brianzo et in s. Anthonino. Dominicaturam de Villaclara et de Menuleles. Dominicaturam de Turresbezes de Solario et de Montesuperbo et de Magriniano de s. Cucuphate de Montesuperbo et de Magriniano de s. Cucuphate de Garricis et de Ollesa de Bages et cum omnibus ad easdem pertinentibus honores et decimum in termino castrum de Vite. Dominicaturam de Modia de Milione de s. Digna de Villafrancha domos et honores integriter quas domnus Petrus rex bone memorie vobis donavit. Affrontant autem predictae domus: a parte orientis in carraria, a meridie in alia carraria, a circio in domibus Berengarii de Parietibus, ab occiduo in domibus Berengarii de Fira et cum honore quem domus rex cum ipsis dedit. Dominicaturam de Mazana de Fonterubeo cum omnibus ad se pertinentibus. Dominicaturam s. Stephani de Castelleto cum decimis et primiciis terminis et afrontacionibus cum aquis et molendinis et rebus ad se pertinentibus sicut est terminatum et fexuriatum. Dominicaturam de Rafagera cum decimis et cum omnibus ad se pertinentibus. Castrum vero de Caldario s. Vicentii, castrum de Albiniana cum quadris, castrum de s. Oliva, castrum de Thomalbuy cum quadra de Albonar cum terminis et afrontacionibus decimis et primiciis et cum omnibus ad se pertinentibus sicut melius... Domos de Terrachona cum omnibus ad se pertinentibus. Castrum de Arabitha de Caschai cum decimis et primiciis et stagnis, terminis et affrontacionibus cum omnibus suis adiacentiis et cum omnibus ad se pertinentibus. Confirmamus namque vobis et vestro monasterio omnes donaciones privilegia instrumenta publica vel privata quecumque tam a nobis quam a predecessoribus nostris actenus habuistis et omnia supradicta sicut melius plenius rationabiliter possidetis.

Data apud Barchinonam x.º kal. febr., a.º Domini millesimo ducentesimo tricesimo tercio.

S + m Iacobi, Dei gracia regis Aragonum et regni Maioricarum comitis Barchinone et Urgelli et domini Montipesulani. Huius rei testes sunt dompnus Nunius Sancii, Raimundus Fulchonis vicecomes Cardone, Berengarius de Podioviridi; Guillelmus de Cardona; Guillelmus de Cardona; Guillelmus de Aquilone; Peregrinus de Castelazot; Rotlandus Lay; Petrus de Lobera.

Ego Guillelmus Rabaza, notarius domini regis et canonicus Ylerden, qd.; S + m Guillelmi, scribe, qui mandato domini regis pro Guillelmo Rabate, notario suo hoc scribi fecit loco die et anno prefixis.

1321.

1234, febrero 1.

El abad Pedro concede al Rey Jaime I la mitad de la villa de Igualada, exceptuando la iglesia y los diezmos y primicias y las casas que querrá. El Rey promete al Monasterio la defensa de dicha villa.

EDIT.: SEGURA, *Historia*, i, 48-9; n. ap. T.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 140-1 (n.º MCLI). — SAGARRA, *Sant Vicens*, 71-2.

A. C. A., *Cart.*, f. 198, n.º 619.

Sit omnibus manifestum quod nos Petrus, Dei gracia abbas cenobii s. Cuphatis, et conventus eiusdem vobis comissus, damus et concedimus in perpetuum vobis domno Iacobo, Dei gratia regi Aragonum et regni Maioricarum, comitti Barchinonensis, Urgellensis, et domno Montispesullani, medietatem omnis ville nostre de Aqualada, simul cum medietate omnium fructum redditum et proventuum quos nos habemus vel debemus habere quibuscumque modis intus villam de Aqualada. Sic quod in molendinis vel ortis vel sensuali que circa ipsam villam sunt nec in aliis nostris eximentis vel hominibus extra ipsum villam possitis, nichil accipiatis vel habeatis nisi in illis tantummodo fructibus redditibus et proventibus, qui sunt vel fuerint intus dictam villam de Aqualada, et nichil esse in dicta villa qui ibi est vel erit accipiatis plus quam nos ratione pacis et treuge fracte nec etiam racione causarum civilium vel criminalium vel alia quacumque racione. Tamen possitis vos vel vaiulus vester facere iusticias corporales sine nobis baiulo tamen nostro presente. Verumtamen si peccuniam pro penis corporalibus vel aliquid aliud vos vel baiulus vester acceperitis habeamus nos medietatem et vos aliam medietatem; baiulus vero vester non possit aliquam compositionem sive transaccionem facere super hiis vel aliis sine nostro baiulo locum nostro tenente. Item non possitis vos nec vestris successores provocare nos vel nostros successores ad dimisionem, set nos et successores nostri et vos et successores vestri teneamus comuniter et recipiamus omnes redditus proventus leudas iusticias pro causis civilibus vel criminalibus exactas vel exhigendas bannum inventi omnes et omnia aiia eximenta quocumque modo sive iuste sive iniuste nobis prevenerint vel exacta fuerint in dicta villa. Sid quod vos vel baiulus vester non possitis ibi aliquid facere sine nobis vel baiulo nostro, nec nos vel baiulus noster sine vobis vel baiulo vestro. Retinemus tamen nobis ecclesiam cum omnibus decimis et pri-

miciis et quascumque domos quas nos eligerimus, cum hominibus in eisdem comorantibus, in quibus retentis nichil habeatis. Et vos eodem modo habeatis locum in dicta villa in quo possitis facere palacium ad opus vestri, in quo nichil habeamus. Extra dictam vero villam, que est ibi vel erit, nichil accipiatis tam in hominibus vel in onoribus, ortis, molendinis, agrariis et alliis extra villam nostro monasterio pertinentibus nec esse homines dicte ville teneatur directum facere in posse vestro vel baiuli vestro de honoribus quos pro nobis tenent vel tenerint extra villam sive aliis iuribus nostris, nisi in posse nostro vel baiuli nostri. Et hanc donacionem facimus vobis, domine rex, propter hoc quod ea que habemus in dicta villa extra, nobis potencialiter deffendatis, dum parati erimus satisfacere cuilibet de nobis vel cenobio nostro querimoniam proponendi. Nos dictus Iacobus, Dei gratia rex Aragonum et regni Maioricarum, comes Barchinonensis, Urgellensis et dominus Montis Pessulani, accipimus hanc donacionem et laudamus et concedimus omnia et singula supradicta promittentes vobis et conventui s. Cucuphatis et sucessoribus vestris in perpetuum pro nostro posse dictam villam contra omnes personas et quod non faciamus violenc'as in bonis vestris intus vel extra villam dictam.

Actum est hoc xiii.º kal. feb., a.º Domini MCC.º tricesimo tercio.

Ss. Petrus, Dei gratia s. Cucuphatis abbas; S+m Iacobi, Dei gratia regis Aragonum et regni Maioricam, comitis Barchinone et Urgelli et Montispesulani, qui hec concedimus et firmamus ut superius continentur; Bernardus, monachus; Ego frater Helias, s. Cucuphatis monachus, ss.; Ego Raymundus de s. Minato, ss.; Ego frater Raymundus de Castellario, s. Cucuphatis monachus, ss.; Raymundus de s. Iusto, monachus; Ego Bernardus de Sarriano, monachus de s. Cucuphatis ss.; Guillelmus de Rubi, monachus; Petrus, monachus; Arnaldus de Campos vicillarum, monachus; Ego frater Arnaldus de Ameniis, monachus s. Cucuphatis, ss.

S+m Petri de Bages, notarii publicii Barchinone, qui hec fecit...

1322.

1234, febrero 25.

Montserrat de Castellbell define al abad del Monasterio tres cuarteras de trigo y otros derechos que percibía en un manso del castillo de Aprerota.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 141 (n.º MCI.III).

A. C. A., Cart., f. 406, n.º 1181.

Sit notum cunctis quod ego Monsseratus de Castropulcro, bono animo et spontanea voluntate et proprio animi mei, per me et omnes meos successores dono diffinio et evacuo et absolvo ac plenam remissionem vobis domino Petro, Dei gratia abbati s. Cucuphatis, et omni conventui eiusdem domus, facio de omne locido mansi mei de Coconis, qui est in comitatu Barchinone in termino castris de Apierola, in predicto loco, videlicet tres quarteras bladii terciencia de spella et pro acculeys mediam pugnam frumenti et mediam pugnam ordei et unum quarterium de vino et unam gallinam. Predicta autem donacionem, absolucionem, diffinicionem, remissionem et evacuacionem facio vobis et vestris sucessoribus in perpetuum prout melius... Si quod decetero ego vel ali-

quis per me vel nomine meo non possimus vos vel vestros successores super premissis convenire, demandare, inquietare vel in causam trahere aliquo tempore aliquo iure vel aliqua ratione, sed quantum ad hoc michi et meis perpetuum impono silencium et vos et vestros inde quitos et absolutos clamo set quantum ad hoc renuncio omni iuri et excepcioni mihi in hoc competenti vel unquam competituri et omni iuri novo et veten' scripto et non scripto et omni auxilio et beneficio legis et consuetudinis et constitutionis facte et faciende et doli clausule.

Actum est hoc v.º kal. marc., a.º Domini MCCXXX.º tercio.

S + m Montisserati de Castropulcro, qui predicta firmo; S + m Guillelmi de Ruby; S + m Arnaldi Olivarii; S + m Berengarii de Falchubus; S + m Berengarii de Ruby.

S + m Bernardi Rubey, notarii domini regis in Apiera, qui hoc scripsit...

1323.

1234, abril 6.

El rey Jaime I exime los ganados y bienes del Monasterio del pago de la lezda.

EDIT.: HUICI, *Col. Diplomática*, cxxvii.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 146 (u.º MCLXII). — SEGURA, *Historia*, i, 49. — PERAY, *S. Cugat*, 130.

A. C. A., *Cart.*, f. 413, n.º 1204.

Iacobus Dei gracia rex Aragonum et regni Maioricarum comes Barchinone et Urgelli et dominus Montispesulani dilectis et fidelibus suis universis vicariis et baiulis Barchinone Villefranche statutis et statuendis presentibus et futuris. Salute et gracia complementum. Fidelitate vestre notum facimus per presentes quod nuper cum fuimus apud monasterium s. Cucufati Petrus Dei gracia abbas et conventus eiusdem supplicantes humiliter nobis monstrarunt quod numquam consueverunt dare leudam de propriis bestiis domus sue quo cumque eas venderent sive de rebus aliis universis et quod super eisdem ipsi monasterio suas consuetudines servaremus. Quod nos libenti animo approbamus unde volumus et fidelitati vestre firmiter ac precipiendo mandamtis quantum decetero de bestiis propriis domus sue sive de rebus aliis ad monasterium proprie et specialiter pertinentibus non demandetis nec accipiatis leudam vel aliam consuetudinem statutam vel statuendam nec eos super huiusmodi aliquatenus aggravetis, set ipsi monasterio suas consuetudines super istis servetis et faciatis penitus observari. Res tamen rusticorum ipsius monasterii intelligantur excluse, hoc autem non mutetis si de nostri amore et gracia confidatis.

Data apud Oscam viii.º idus aprilis, a.º Domini MCCXXX.º quarto.

1324.

1234, julio 11.

Guillermo Xemtar, con su esposa e hijo, venden al abad del Monasterio el diezmo que poseen en Ripollet y Riusech, por mil sueldos barceloneses.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 146-7 (n.º MCLXIII).

A. C. A., Cart., f. 414, n.º 1210.

In Dei nomine. Sit omnibus manifestum quod ego Guillelmus Xethmar, et uxor mea Guillelma et filius noster Berengarius Xethmar, vendimus per nos et nostros vobis domno Petro, Dei gratia abbati, et monasterio s. Cucuphatis, in perpetuum, totum illum decimum quod tenemus per dictum cenobium in parrochiis s. Stephani de Ripollete et s. Pauli de Rivosicco, vel in aliis locis, in montibus et plauis, per omnia loca, et totum aliud quod ad feudum tenemus per dictum cenobium in dictis parrochiis vel aliis locis. Quod dictum decimum panis, scilicet et vini et carniū et omnium aliorum rerum ad ipsum decimum pertinencium et quicquid aut quantum habeo vei passum habere per dictum cenobium in iam dictis parrochiis vel aliis locis cum omnibus locis iuribus, vocibus et accionibus realibus et personalibus nobis in hiis vel pro hiis competentibus aut competituris, vendimus per nos et nostros vobis domno Petro, Dei gratia abbati, et monasterio s. Cucuphatis, in perpetuum. Et ut melius dici... Inducentes vos et vestros successores cum hoc publico instrumento perpetuo valituro in corporalem possessionem pleno iure tanquam in rem vestram propriam ad habendum et semper... Pro hac autem vendicione recepimus a vobis domno Petro, abbate, mille solidos denariorum Barchinonenses, valentibus LXXXVIII solidos marcham argenti. Quos nos habuisse concedimus Ne vero occasione vel actione duplicis enganni vel modis aliis nos possimus vel possit aliqua persona nomine nostro unquam contra hanc vendicionem venire nec vos vel vestros de non numerata peccunia convenire, renunciāmus quantum ad hec dicte occasione et accioni et execcioni pecunie non numerate et omni iuri canonico ac civili comuni et singulari publico et privato, scripto et non scripto, sive consuetudinario et specialiter accioni reccessorie et omni iuri tam promulgato quam promulgando. Dando remitenda et ex certa sciencia perpetuo cedendo vobis domno abbati et vestris successoribus si quid hec que vobis vendimus plus modo valent vel a modo valuerint precio antedicto. Insuper promittimus salvare vobis et dicto monasterio totam predictam vendicionem et esse inde legales vobis et vestris guarentes auctores et deffensores et quod teneamur vobis et vestris si quas missiones unquam vos vel vestri feceritis in evincendo vel causam eviccionis examinando et questionem, si vobis vel vestris successoribus aut dicto monasterio mota fuerit, in solidum vel in partem promittimus pro vobis et vestris satisfacere et respondere et agere causam nostris impensis a principio usque in finem. Quod pro hiis complendis et attendendis obligamus vobis et vestris quisque nostrum in solidum nos et omnia bona nostra mobilia et immobilia in que melius vos vel vestri successores accipere volueritis sine vestro dampno et absque placito et sacramento et testibus. Ad maiorem etiam securitatem vestram et vestrorum successorum et dicti monasterii nos predicti Guillelmus Xethmar et Berengarius Xethmar, filius eiusdem Guillelmi, iuramus in animabus nostris per Deum et sancta eius

iiii.^{or} evangelia, manibus nostris corporaliter tacta, quod predicta attendamus et compleamus et nunquam contraveniamus vel aliquam personam venire faciamus au[t] consenciamus sive permitamus. Demum ergo Guillelma predicta laudans et concedens predicta omnia promito quod aliqua de predictis non sunt michi obligata racione sponsalici; mei vel modis aliis, et si aliquod ius mihi ibi competit vel potest competere racione sponsalicii vel quolibet alio modo totum illud ius dono et remito vobis dicto abbati et dicto monasterio sine aliqua retencione vel excepcione, renuncians quantum ad hec omni iuri pro me facienti, scripto et non scripto sive consuetudinario.

Actum est hoc quinto idus iulii, a.^o Domini millesimo cxxx.^o quarto.

S+m Guillelmi Xethmar; S+m Guillelme, uxoris eius; S+m Berengarii, filii eorum, qui predicta laudamus et firmamus; Arnaldus, sacerdos et clericus s. Iuliani de Occulis, in cuius presencia domna Guillelma, uxor Guillelmi Xethmar hanc cartam firmavit et Berengarius Xethmar, filius eorum, firmavit et iuravit, ss.; S+m Saure; S+m Guillelmi, filiorum dictorum Guillelmi Xethmar et Guillelmi, qui predicta laudamus concedimus et confirmamus; S+m Bernardi de Ulmo; S+m Iohannis Boveth; S+m Iohannis de Rippa.

S+m mei Petri Iacobi de Portu, scriptoris Petri de Bages, publici Barchinone notarii, qui mandato eiusdem ibi ad accipiendum firmamentum a domna Guillelma uxore Guillelmi Xethmar et firmamentum et iuramentum a Berengario Xethmar, filio eorundem Guillelmi Xethmar et Guillelme, uxoris eius et firmamenta etiam a Saura et Guillelmo, filiis predictorum Guillelmi Xethmar et Guillelme, que dicta domna Guillelma et dicti Saura et Guillelmus eiusdem filii firmaverunt et dictus Berengarius Xethmar firmavit et iuravit in posse meo apud castrum Terciolum, scilicet domna Guillelma et Berengarius Xethmar, presentibus Arnaldo, sacerdote, et clerico s. Iuliani de Occulis, et Bernardo de Ulmo et Iohanne Boveth et Berengario de Vilariohna et dicti Saura et Guillelmus presentibus eodem Berengario de Vilariohna et Iohanne de Rippa; S+m Petri de Bages, notarii publici Barchinone, qui hec scribi fecit...

1325.

1234, julio 12.

Concordia y transacción firmada por el abad de San Cugat y Gascón de Albornar sobre el castillo de Albornar del término de Albiñana.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 147 (n.^o MCLXIV).

A. C. A., Cart., f. 403v, n.^o 1174.

Sit omnibus notum quod cum inter dominum Petrum, Dei gratia abbatem, et conventum cenobii s. Cucuphatis, ex una parte, et Guaschonum de Albornar, ex altera, essent questiones agitate super castro de Albornar quod est in comitatu Barchinone in termino de Albiniana, venerunt adinvicem amicabiliter ad compositionem et perpetuam transactionem in hunc modo, quod dictus Guaschonus et sui, unus post alium successive, habeant semper et teneant castrum de Albornar, cum medietate decimarum ec omnibus ad dictum castrum pertinentibus pro domo s. Cucuphatis et ipse Guaschonus et sui donent potestatem de ipso castro abbati s. Cucuphatis, quociens ab ipso abbate vel suo

certo nuncio fuerint requisiti, secundum consuetudinem Cathalonie. Item Guaschonus et sui teneantur facere abbati et domui s. Cucuphatis servicium pro medietate dicti castri, secundum +valorem+ feudi, sicuti milites Cathalonie consueverunt servire suis dominis pro feudis que tenent per eos; de alia vero medietate eiusdem castri Guaschonus et sui nullum servicium facere teneantur. Salva tamen abbati et domui s. Cucuphatis in toto dicto castro potestate homagio et dominio. Preterea Guaschonus et sui successores donent in perpetuum abbati et domui s. Cucuphatis medietatem tocius decime quam retinebat de laboracionibus, videlicet quas idem Guaschonus proprio nomine laborabat et donet medietatem decimarum carniuum, videlicet caseorum et lane quam de domo sua propria retinebat et sic abbas et domus s. Cucuphatis habeant semper integram decimam in propriis laboracionibus et propria domo iam dicti Guaschoni et de decima aliarum rerum domus s. Cucuphatis habeat medietatem decime, sicut consuevit eam accipere et habere. Preterea in congreganda decima de Albornar convenient Guaschonus vel baiulus eius et baiulus sive nuncius s. Cucuphatis, ita quod unus alii denunciaret semel tempore quo finet decima congreganda que veniat cum alio ad ipsam decimam congregandam et tunc si ille cui denunciatio facta esset, nollet interesse, alius nichilominus possit suam partem ipsius decime levare. Item Guaschonus et sui teneantur semper dare cuilibet abbati s. Cucuphatis in signum domini unam albergam tam quandiu quilibet abbas vixerit. Item quod postquam quilibet abbas ipsam albergam semel acceperit non possit aliam albergam demandare, dum vixerit idem abbas. Et ita fiat semper inter abbatem et domum s. Cucuphatis et inter Guaschonom de Albornar et suos. Salvetur siquidem in omnibus aillis instrumentum convencionis factum super donacione dicti castri inter Poncium Petri et Geraldum fratrem eius dominum qd. dicti castri et inter Guillelmum Guinovardi et alios antecessores dicti Guaschoni. Item Guaschonus remitat in continenti abbati et domui s. Cucuphatis quadringentos solidos qui sibi debebantur pro quibus tenebat castri dominium obligatum. Et hec omnia facta sunt amicabiliter inter partes et composita, ut superius est distinctum, unde nos Petrus, Dei gratia abbas et conventus cenobii s. Cucuphatis, per nos te successores nostros, et ego Guaschonus de Albornar, per me et successores meos, laudamus, approbamus et perpetuo confirmamus predicta et singula omnia eo quia facta sunt ad commodum et utilitatem alterutriusque partis promittentes adinvicem, alter alteri, per nos et successores nostros, quod nunquam contra predicta veniamus vel aliquam personam venire faciamus aut consenciamus sive permitamus. Si quo autem...

Actum est hoc quarto idus iulii, a.º Domini MCCXXX.º quarto.

S + m Guaschoni de Albornar predicti, qui hec laudo et firmo; S + m Petrus, Dei gratia s. Cucuphatis abbas, qui hoc firmo, salvando iura monasterii nostri; Ego Petrus de s. Vincencii, prior s. Cucuphatis et sacrista, ss.; Ego Raimundus de Sanctominato, monachus; Ego frater Raimundus de Castelar, s. Cucuphatis monachus, ss.; Ego Petrus de Serriano, monachus; Petrus de Turri, monachus; Ego frater Arnaldus de Amenii, monachus s. Cucuphatis, ss.; Raimundus, monachus; Ego frater Guillelmus Gazeti, monachus, subfirmo; Ego frater Elias, s. Cucuphatis monachus, ss.; Ego Bertrandus de Serriano, monachus, ss.; S + m ss. Guillelmi de Toschi; S + m Ferrarii Geraldii; S + m Ferrarii Dominici, acholiti.

S + m Petri de Bagis, notarii publici Barchinone, qui hec scribi fecit et clausit cum literis emendatis in linea iii ubi scribitur "requisit secundum consuetudinem Cathalonie" et cum litteris appositis in vi et vii lineis ubi scribitur "peterea in congreganda decima de Albornar conveniant Guaschonus vel baiulus sive nuncius s. Cucuphatis itaquod unus alii denunciati semel tempore quo fuerit decima congreganda quod veniat cum alia ad ipsam decimam congregandam et tunc si ille, cui denunciatio facta esset, nollet interesse, alius nichilominus possit suam partem ipsius decime levare "et cum litteris dampnalis in linea quinta insertis inter caseorum et lane" die et anno quo supra.

1326.

1234, julio 28.

Ramón de Claramunt vende como alodio al abad de San Cugat todos los honores que los hombres de Capellades propios del Monasterio poseían en Claramunt.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 147-8 (n.º .MCLXV).— SECURA, *Historia*, 12, 71.
A. C. A., Cart., f. 398, n.º 1155.

In Christi nomine. Sit omnibus manifestum quod ego Raimundus de Claromonte, vendo per alodium vobis domno Petro, Dei gratia abbati, et cenobio s. Cucuphatis, in perpetuum, omnes honores, cultos et heremos quos homines vestri de Capelades habent et tenent per me; qui honores sunt in termino de Claromonte, in circuitu vestri honoris de Capelades. Et terminantur isti honores sive fexuriantur: ab orienti in sumitate montis de Alteles et in collibus Bessons, et sicut dividuntur cum termino Apiarie et ascenditur per Sedellum usque in resclosa molendinorum Vallisbone, a meridie sicut ascenditur per torrente de Artiges et ascenditur ad molarium et itur ad honores de Crebayns et ad collum de Pohoyosa et sicut dividitur cum castro de Capraria, ab occiduo sicut dividitur cum honore de Marchoval et sicut dividit via publica que recedit de Granata et vadit ad Clarummontem, excepta tamen comba de Cervera, quam homines mei turris tenent, a circio sicut dividitur per medium cumbes de na Grossa et sicut dividitur cum honore Petri de Salellis et cum honore Urseti, et est ibi quedam turris que est in hac vestra vendicione et sicut dividitur cum manso de Carnaro et descendit ad molendina de Presegerio et sicut revertitur usque ad flumen Anoye et ascenditur per serram Cuniheram et ascenditur est ad dictas Altelas. Iam dictos itaque honores omnes cultos et heremus, cum toto senioratico quod habeo in hominibus et feminis tenentibus eos et cum omnibus usaticis, tollis, forciis, questiis, placitis stacamentis stabilimentis, homicidiis, cucuciis, exorchiis, iovis, laxacionibus, intestacionibus, invencionibus traginis, et cum pasturis et ademprivis que habeatis in termino Clarimontis et turris sine aliquo censu et servicio sicuti vestri homines consueverunt habere et tenere usque in diem presentem in dicto termino Clarimontis et turris dicta, pasturas et adempriva, et cum introitibus et exitibus horum et omnibus ad hoc pertinentibus et debentibus pertinere et cum omnibus etiam locis, iuribus, vocibus et accionibus realibus et personalibus, que mihi in hiis vel pro hiis competunt aut debent vel possunt competere quibuscumque modis vendo per me et meis vobis domno Petro, abbati et cenobio s. Cucupha-

tis imperpetuum, et ut melius dici... ego extrahens hec predicta de meo meorumque iure dominio et posse eadem omnia et singula in vestrum et dicti cenobii ius dominium et posse transfero irrevocabiliter. Inducens vos et vestrum cenobium cum hoc publico instrumento, perpetuo valituro, in corporalem possessionem, pleno iure, tanquam in rem vestram propriam, ad habendum et semper... Pro hac autem vendicione recepi a vobis domno Petro, abbate, centum octo morabetinos et terciam partem unius morabetini bonos in auro novos curribiles, anfussinos, rectos, sine engan, quos me fateor habuisse. Ne vero occasione vel actione duplicis deceptionis... possim... contra... venire... renuntio... actioni non numerate pecunie et omni iuri... Dando, remitendo et ex certa sciencia perpetuo cedendo vobis et vestris successoribus si quid hec que vobis et dicto cenobio vendo plus modo valent vel a modo valuerint.

Insuper promito salvare vobis et vestro cenobio talem predictam vendicionem et esse inde vobis et eidem cenobio legalis guarens auctor et deffensor et quod tenear vobis et prefato cenobio semper de firma et legali eviccionem et restituam vobis et vestris successoribus si quas missiones unquam feceritis in evincendo vel causam eviccionis examinando. Et ad questionem si vobis vel vestris successoribus mota fuerit in solidum vel in partem promito pro vobis et vestris successoribus satisfacere et respondere et agere causam meis propriis impensis a principio usque in finem. Et pro hiis complendis et attendis obligo vobis et vestris successoribus et vestro cenobio me et omnia bona mea mobilia et immobilia habita et habenda in que melius accipere volueritis sine vestro dampno. Super quibus credatur vobis et vestris planius verbis absque placito et sacramento et testibus. Ad maiorem autem vestram et vestri cenobii securitatem iuro in anima mea per Deum et sancta eius quatuor evangelia, manibus meis corporaliter tacta, quod hec que dicta sunt compleam et attendam et nunquam contraveniam vel aliquam personam venire faciam aut consenciam sive permittam. Ad hec ego Adalaidis de Claromonte, mater dicti Raimundi de Claromonte, laudans et concedens predictam vendicionem a dicto filio meo vobis domno Petro, abbati, et cenobio s. Cucuphatis factam, diffinio vobis domno abbati et vestro cenobio, si qua loca iura voces et acciones ego habeo debeo vel possum habere in predictis racione sponsalicii mei vel modis aliis, et renuncio quantum ad hec dicto meo sponsalicio et iuri ypothece et denacioni propter nupcias et auxilio et beneficio Cenatus consulti Veleiani et omni iuri per me facienti.

Actum est hoc v.º kal. aug., a.º Domini millesimo ducentesimo xxx.º quarto.

S + m Raimundi de Claromonte; S + m domne Adalaydis, matri eius, qui predicta laudamus et firmamus; S + m Bernardi de Canalibus, qui predicta concedo et confirmo et diffinio si quid iuris habeo in predictis; S + m Berengarii de Rubi; S + m Berengarii de Vilagelans; S + m Petri Iacobi de Porta; S + m Petri Carbonelli, notarii; S + m Poncii de Serriano, notarii; S + m Guilleimi de Toschis.

S + m Petri de Bages, notarii publici Barchinone, qui hec scribi fecit et clausit cum litt. emendatis in XIII et XXII lineis...

1327.

1234, diciembre 4.

Sentencia dada por el juez Guillermo Pons en una causa que vertía entre el Abad y Ferrer de Olzet sobre la posesión de dos mansos situados en San Juan Despí.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 148-9 (n.º MCLXVI).

A. C. A., Cart., f. 411, n.º 1199.

Inter domnum Petrum, Dei gratia abbatem s. Cucuphatis,, ex una parte et Ferrarium de Olzeto, ex altera, agitata fuit questio in hunc modum. Dicebat si quidem domnus abbas quod ipsi duo mansi siti in parrochia s. Iohannis de Pinu, in plano de Lupricato, quos Ferrarius de Olzeto emerat de Raimundo Claromonte erant alodium cenobii s. Cucuphatis et tenebantur ad feudum por iddem cenobium; et quia Ferrarius de Olzeto emerat eos a Raimundo de Claromonte, contra voluntatem abbatis, et eo nesciente, petebat dictos mansos in dominium sibi debere reverti cum fructibus perceptis a tempore empicionis usque modo. Set Ferrarius cle Olzeto ex adverso respondens dicebat quod dictos duos mansos emerat per alodium a Raimunclo cle Claromonte et quod idem Raimundus de Claromonte et domnus de Canais semper tenerant et habuerant ipsos mansos per alodium. Et super hoc fuit adiudicatum utrique parti ut probaret quod asserebat. Ego igitur Guillelm Poncii, datus iudex a Rumeo Durfortis, vicario Barchinone, receptis testibus utriusque partis perlectis et publicatis et visis omnibus cartis, quas utraque pars ostendit et auditis rationibus et allegacionibus utrimque propositis, inquisita rei veritate, prout melius potui, habito prudentum consilio, dico de iure ditos mansos esse alodium s. Cucuphatis et quod Ferrarius de Olzeto debet eos tenere pro eadem domo s. Cucuphatis. ad feudum et facere eidem domui illud servicium quod Raimundus de Clarornonte et domnus de Canals consueverunt facere cenobio s. Cucuphatis pro dictis mansis. Et quia Ferrarius de Olzeto emit eos mansos contra voluntatem abbatis et, eo nesciente, condempno ipsum Ferrarium ad dandam duplex laudoysmum eidem abbati.

Actum est hoc ii.º nonas dec. a.º Domini mccxxx.º quarto.

S + m Guillelmi Poncii; S + m Raimundi Durfortis, vicarii Barchinone qui hoc scribi fecit et clausit cum litt. emendatis in lin. vi...

1328.

1235, febrero 8.

Sentencia que da el juez Ramón de Puig en un pleito sobre la propiedad de un campo sito en San Cugat de Garrigues, que se disputaban los Monasterios de San Cugat y de Santas Creus.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 145 (n.º MCIX). — MIRET, *Escolarcas*, 146, nota 2.

A. C. A., Cart., f. 400, n.º 1182.

Lata sententia ab Raimundo cle Podio de Villafrancha in causa que vertebatur inter Bertrandum de Serriano, prepositum s. Cucuphatis, ex una parte,

et fratrem Guillem de Bausareyns, procurantem negocia domus sanctarum Crucum in Villafrancha et in locis adiacentibus, ex altera, super quodam campo quem Guillelmus Venrel cum sociis suis tenet, qui fuit quondam de na Ric Quarter iuxta villam s. Cucuphatis de Garricis, quem uterque ex legato Geraldı de Cervilione domui sue pertinere asserebat, interposita appellacione ab ipsa sententia ex parte prepositi supradicti, cum causa appellacionis coram Petro Arberti, Barchinonensis canonico, vicario domni Barchinonensis episcopi, agitaretur, prefatus frater Guillelmus, procurator domus sanctorum Crucum, peccit a predicto preposito et monasterio s. Cucuphatis quasdam possessiones cum earum fructibus ad castrum de Ferran pertinentes, quod castrum fuit eis legatum a Geraldo de Cervilione, cum terminis tenedonibus et omnibus pertinenciis. Peccit autem nominatim has possessiones: mansum qui dicitur Ratera, campum annualem, quem Bardonera solebat tenere, campum de Olivariis. Item aliam peciam terre quam Bernardus Iofredi tenet, item alias possessiones sive honores quas Petrus, baiulus, tenet iuxta mansum de Garrigis; item honorem de Pontonal; aliam etiam peciam terre, quam tenet Bern. Iofredi, item campum Berdonerii apud aream^o item domum et ferragenalem, quam tenet Petrus, baiulus. Hec omnia peccit dictus frater Guillelmus nomine sanctarum Crucum a preposito supradicto, deffendente monasterium s. Cucuphatis, qui eas detinebat, asserens illa fuisse domui sanctorum Crucum a predicto testatore legata, cum ille possessiones essent illius testatoris et in termino castri de Ferran site inveniantur. Prepositus vero deffendens medietatem predictarum possessionum quam possidet, asseruit illam medietatem domui s. Cucuphatis pertinere ex legato Geraldo de Cervilione, qui in testamento suo legavit inter monasterium s. Petri Puellarum et domum s. Cucuphatis omnes suos honores, cum suis pertinenciis, quos habebat apud s. Cucuphatem de Garricis et sic negavit ipsas possessiones ad domum sanctarum Crucum pertinere vel esse infra terminos castri de Ferran, opponens quod Geraldus de Cervilione omnes illas possessiones separatas a castro de Ferran possidebat et eas in vita sua divisit assignando quadram et terminos loco que dicitur s. Cucuphatis de Garricis usque ad turrem que dicitur Malseliga et fructus illarum possessionum separatim a baiulo illius loci, recipi faciebat et consequenter prefatus prepositus in modum reconventionis peccit a fratre Guillelmo et domo sanctarum Crucum castrum de Ferran quod asserebat esse obligatum domui s. Cucuphatis pro legato cc aureorum quos Guillelmus de Cervilione, pater dicti Geraldı, eidem domui legavit et etiam pro dampnis et iniuriis que ultra summam ccc aureorum eidem domui intulit et quia dictus Guillelmus ordinavit quod de fructibus illius castri legata raubarie et iniurie solverentur peccit dictum castrum sibi solvi vel tradi sibi legatum et iniurias sive rauberias sibi restitui. Eodem modo peccit domnus de Cecuita, mansum Guillelmi Petri, fabricam de Terracia. Que omnia Guillelmus de Claromonte eius dimisit qui fecit rauberias dampna et iniurias doniui s. Cucuphatis ultra DCCC morabetinos. Et ordinavit in suo testamento quod de redditibus predictarum possessionum omnes rauberie et iniurie quas fecerat primo restituentur quam domus sanctarum Crucum racione legati eas adipisceretur. Ad hec vero frater Guillelmus domus sanctarum Crucum deffensor respondit, quod redditus castri de Ferran tenebant ex vendicione manumissorum vel exsecutorum testamenti dicti Guillelmi de Cervilione, scilicet domni Berengarii, Barchinone episcopi, Guillelmi

de Mediona et domine Alvire, uxoris ipsius Guillelmi, qui iuxta ordinacionem testamenti ipsius redditus illius castri cum redditibus castri de Miraliis debent distribuere legatariis creditoribus et quibus rauberias fecit sive iniurias; unde cum ratione illius empcionis fructuum dicti castri singulis annis dent ccc solidos executoribus sive manumissoribus predictis agendum esset contra eos, sicut tes[ta]tor ordinasse videtur, non contra domum sanctarum Crucum, que tanquam quilibet extraneus emptor ad empcionem fructuum accessit. Conditionem vero fuisse appositam, sicut superius positum est in legato Guillelmi de Claromonte, frater Guillelmus omnino negavit. Hiis itaque omnibus sicut agitati et probacionibus iuxta partium negacionem adiudicatis, receptis testibus et publicatis visis et prolectis testamentis nobilium predictorum, post longam parcium disputatione facta rite cause conclusionem et omnibus more iudiciorum sollempniter actis; Ego Petrus Arberty, Barchinonensis canonicus, et vicarius domini Berengarii, Barchinonensis episcopi, habito prudentum consilio, ad habens voluntatibus in omnibus defunctorum super legatis Guillelmi de Claromonte domum sanctarum Crucum et fratrem Guillelmum, procuratorem, absolvo et in hoc prepositum et domum s. Cucuphatis condempno donec primo excusserit omnes res mobiles et immobiles que fuerunt prefati Guillelmi; quod si bona alia non sufficerent, tunc demum salva sit petitio abbati s. Cucuphatis contra bona illa que domui sanctarum Crucum ab ipso Guillelmo de Claromonte legata fuerunt. Eodem modo quia Guillelmus de Cervilione certos instituit manumissores sive collectores super fructibus castri de Ferran, et de Miraliis, qui de fructibus illis satisfacerent legatariis et iniuriam passis, absolvo eundem fratrem Guillelmum a petitione prepositi predicti donec primo egerit contra manumissores atque collectores qui ad hoc instituti a testatore fuerunt et qui de fructibus castri de Ferran cum domo sanctarum Crucum pro ccc solidos quolibet anno composuerunt, salvo tamen iure predicti prepositi et domus s. Cucuphatis super fructibus predictis, si forte adversus manumissores vel collectores predictos de iure non poterint optinere. Super possessionibus vero ex parte fratris Guillelmi petitis inspecta legantis consuetudine prephatum prepositum et domum s. Cucuphatis finaliter absolvo, perpetuum fratri Guillelmo et domui sanctarum Crucum silentium imponendo, nam si predictae possessiones de legato Geraldii de Cervilione deducuntur inspecta caritate quam erga monasterium s. Cucuphatis prefatus Geraldus habebat et totum genus suum habuit ab antiquo, et inspectis summis et quantitativis aliorum legatorum atque considerata legantis et legatarii dignitate, constat quod in residuis possessionibus s. Cucuphatis da Garricis nullomodo competens legatum remaneret et in hac {parte} sententiam ab Raimundo de Podio latam sententialiter infirmo in hac parte, appellacionem fuisse iustam, sententiam vero iniustam sententialiter pronunciando.

Hec est lata sententia apud Villamfrancham, vi.º idus februarii, a.º Domini MCCXXX.º quarto.

S+m Petri Arberty, Barchinonensis canonici et vicarii domini Barchinonensi episcopi.

S+m Petri Iacobi de Portu, qui hec scripsit, mandato Petri Arberty supradicti cum lit. rasis et emendatis in lin. viii et appositis in lin. xi ubi dicitur "quas fecerat" et est cum litt. appositis in lin. xviii ubi dicitur "fratrem"

1329.

1235,

marzo 14.

Guillermo de Altafulla vende al abad Pedro y al convento el feudo que recibe en el manso de Pedro Basset, de Capellades, por 37 sueldos de Barcelona.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 146 (n.º MCLXI).

A.C.A., Cart., f. 407, n.º 1184.

Sit notum cunctis quod ego Guillelmus de Altafolia, non coactus nec seductus nec in aliquo circumventus, set gratis et ex certa sciencia, gratuito animo et spontanea voluntate, per me et meos, vendo vobis domno Petro, Dei gratia abbati s. Cucuphatis et Bertrando de Serriano et omni conventui eiusdem domus, omne illum feudum meum quem accipio vel accipere debeo, videlicet in manso Petri Baseti de Capellatis, sicut melius et plenius michi dedit Raimundus de Claromonte et uxoris eius, sic vendo vobis et vestris successoribus, sicut in instrumento Raimundi de Claromonte michi facto per manu Iohannis, clerici de Capellatis, sicut melius et plenius ipsum habeo et habere debeo, piout melius... et ego et mei erimus inde vobis et vestris auctores et deffensores contra omnes homines et de eviccionem me inde obligo cum omnibus bonis meis, habitis et habendis. Accipio a vobis pro hac vendicione xxxvii solidos Barchinonenses valent, marchis argenti LXXXVIII solidos de quibus a vobis bene sum paccatus et ideo renuncio excepcioni pecunie non recepte.

Actum est hoc ii.º kal. sept., a.º MCCXXX.º quarto.

S + m Guillelmi de Altafolia, qui predicta firmo et laudo; S + m Berengarii de Falchubus; S + m Berengarii de Curtibus; S + m Raimundi Baboti; S + m Berengarii de Curtibus, testium.

S + m Bernardi Rubey, notarii domini regis in Apiera, qui hoc scripsit...

1330.

1236, enero 17.

El rey Jaime I promete no enajenar los derechos que el Monasterio le ha concedido en Igualada.

EDIT.: SEGURA, *Historia*, i, 49, y ii, ap. v. — HUICI, *Col. Diplomática*, CXLIV.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 149 (n.º MCJ.XVI).—PERAY, *S. Cugat*, 130.

A. C. A., Cart., f. 413, n.º 1205.

Manifestum sit omnibus quod nos Iacobus, Dei gracia rex Aragonum et regni Maioricarum comes Barchinone et Urgelli et dominus Montispesulani cum presenti carta per nos et per omnes successores nostros donamus Deo et concedimus et promittimus vobis fratri Petro abbati et toti conventui monasterii s. Cucuphatis et per vos vestris successoribus presentibus et futuris quod non excambiemus unquam in aliquo tempore nec donemus nec concedamus vel permutemus nec aliquo titulo alienacionis alienemus militibus neque sanctis, nec ulli alii persone viventi illud ius quod habemus et monasterium s. Cucuphatis donavit nobis in villa de Aigualada set illud ius quod ibi habemus et a vobis recepimus retinebimus semper nobis et successoribus nostris et de do-

minio et iure quod ibi habemus non desiximus nos unquam aliqua ratione et hoc promittimus atendere et complere in Dei fide et nostra legalitate.

Data apud Barchinonam xvi.º kal. febr., a.º Domini millesimo ccxx.x.º quinto.

S + m Iacobi, Dei gratia regis Aragonum et Maioricarum, comitis Barchinone et Urgelli, el domini Montispesulani. Huius rei testes sunt: Ferrarius de s. Martino; Raimundus de Belloloco; Guillelmus de Pratis; dompnus Atorella; Ferrandus Petri de Pina.

S + m Guillelmi, scribe, qui mandato domini regis pro Guillelmo Rabace, notario suo, hanc cartam scripsit...

1331.

1236, enero 17.

El rey Jaime I confirma al Monasterio el derecho de percibir los tributos reales en Gualba.

EDIT.: HUICI, *Col. Diplomática*, n.º CXLV.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 150 (n.º MCLXVIII).

A. C. A., Cart., f. 413v, n.º 1206.

Pateat universis quod nos Iacobus Dei gracia rex Aragonum et regni Maioricarum, comes Barchinone et Urgelli et dominus Montispesulani cum presenti carta confitemur et recognoscimus vobis dilectis nostris Petro abbati et toti conventui monasterii s. Cucufatis quod semper vos et monasterium supradictum levavistis et accepistis et levare et accipere debuistis sicut nobis constat et confessione (di)dicimus plurimorum quicquid ratione bovatici et monetatici sipe pacis et treuge vel alicuius generalis servicii sive iurisdiccions nostre debuit levari conlligi vel percepi in loco de Gualba. Et quia hec semper cum nostris antecessoribus habuistis et accepistis et velimus et debeamus vobis et monasterio s. Cucuphatis iura sua integre...

Data Barchinone xvi.º kal. februarii anno Domini millesimo ccxxx.º quinto..

S + m Iacobi Dei gracia regis Aragonum et regni Maioricarum comitis Barchinone et Urgelli et domini Montispesulani. Huius rei testes sunt Ferrarius de s. Martino, Raimundus de Belloloco; Guillelmus de Pratis, dompnus Atorella, Ferrandus Petri de Pina.

S + m Guillelmi, scribe qui mandalo domini regis pro Guillelmo Rabace notario suo hanc cartam scripsit...

1332.

1236, enero 29.

G. Vidal y G. de Soler, delegados por el arzobispo electo de Tarragona, Guillelmo de Montgrí, confirman la sentencia de Pedro Arberto atribuyendo el castillo de Ferrán, que reclamaba el Monasterio de Santas Creus, al cenobio de San Cugat.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 150-1 (n.º DCLXIX).

A. C. A., Cart., f. 406v, n.º 1183.

Causa appellacionis vertebatur inter fratrem Guillelm de Bauzareins, procurantem negocia domus sanctarum Crucum in Villafrancha et in locis adia-

centibus agentem, ex una parte, et Bertrandum de Serriano prepositum s. Cucuphatis deffendentem et eundem fratrem reconvenientem. ex altera, super quibusdam possessionibus quas dictus frater Guillelmus nomine monasterii sanctarum Crucum petebat racione terminorum katri de Ferran, quod monasterio sanctarum Crucum Geraldus de Cervilione in suo legaverat testamento. Unde cum dicte possessiones petite et in sententia Petri Arberti specialiter numerate sint site infra terminos castri de Ferran et castrum cum pertinentiis sit legatura petebat sibi possessiones adjudicari tanquam castro predicto pertinentes, et ad fundandam suam intencionem dictus frater testes induxit per quos intencionem suam fundasse firmiter asserebat ad que Bertrandus de Serriano inficians possessiones petitas fore de pertinentiis castri de Ferran pro se allegabat quod possessiones predictae Geraldus de Cervilione monasterio s. Cucuphatis et monasterio s. Petri Puellarum pro indiviso legaverat, et tam tempore testamenti conditi, quam tempore mortis Geraldus de Cervilione possessiones predictas tenebat et possidebat castro de Ferran penitus separatas, unde potius dictis monasteriis quam monasterio sanctarum Crucum possessiones petite pertinebant. In qua causa super parte possessionum Raimundus de Podio sententiam pro monasterio sanctarum Crucum tulit et ab eius sententia ad Barchinonensem episcopum extitit appellatum, et de appellacione predicta et super quibusdam in causa appellacionis de novo petitis Petrus Arbertus sententiam ex delegacione Barchinonensis episcopi tulit pro monasterio s. Cucuphatis et ab eius sententia super uno tantum articulo, scilicet possessionum cum in aliis articulis eius sententia sit aprobata ad dominum Guillelmum, Dei gracia Tarrachonensis ecclesie electum, extitit appellatum. Nos ergo Guillelmus Vitalis et Guillelmus de Sol[er]io de predicta causa appellacionis ex delegacione Guillelmi, Dei gracia Tarrachonensis electi, cognoscentes, visis et auditis racionibus utriusque partis invenimus fore presu[m]ptivo modo probatum, et non plene, quod possessiones petite tempore Guillelmi de Cervilione fuerunt de pertinentiis castri de Ferran, set post mortem eiusdem Guillelmi, Geraldus filius eius dictas possessiones a castro de Ferran tenuit et habuit separatas, recipiendo fructus et in usus proprios expendendo, cum pater ipsius fructus de Ferran destinasset ad iniurias emendandas; et sic Geraldus de Cervilione, cuius vice petit legatum utrumque monasterium presumpcione quadam voluit possessiones petitas auferre castro de Ferran et quadre s. Cucuphatis applicare. Invenimus etiam quod monasterium s. Cucuphatis possidet et detinet res petitas. Unde cum fundata non sit plene intencio actoris post plenam precium renunciacionem sentencialiter Petri Arberti sententiam duximus confirmandam et sic dicimus bene fuisse pronunciatum et male appellatum.

Actum est hoc quarto kal. febr., a.º Domini MCCXXX.º quinto.

Ego Guillelmus Vitalis, ss.

Iohannes Magistri, qui hoc scripsit iussu iudicum predictorum cum raso et emendato in i lin. in duobus locis...

1333.

1236, junio 12.

Guillerma, hija de G. de Santa Oliva, vende a sus hermanos, por cuatocientos maravedises, todo lo que le pertenece por herencia de sus padres.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 151-2 (n.º MCLXXI).

A. C. A., Cart., f. 394v, n.º 11492.

Sit omnibus notum quod ego Guillelma filia condam Guillelmi de s. Oliva sponte et mea liberalitate non seducta in aliquo vel circumventa vendo et dono per me et meos vobis Guillelmo et Ferrario de s. Oliva fratribus meis et vestris et cui velitis totam hereditatem legitimam et porcionem que in presenti die mihi contingunt vel possunt contingere quibuscumque modis ratione patris et matris. Quam dictam hereditatem legitimam et porcionem cum omnibus locis iuribus vocibus et actionibus que mihi inde competunt aut debent vel possunt competere extraho de iure dominio et posse meo et meorum et in vestrum vestrorumque... Inducentes vos cum hoc publico instrumento perpetuo valituro in corporalem posesionem pleno iure tanquam in rem vestram propriam ad habendum et semper... Pro hac autem vendicione accepi a vobis quadringentos morabetinos bonos in auro novos curribiles aufussinos rectos sine engan quos de vobis me numerando fateor habuisse et eos tradidisse in donem meam Raimundo de Rochaviridi sponso meo cui nubo, et ita concedo me esse bene paccatam et contentam de omnibus predictis cccc morabetinis renuncians excepcioni peccunie non numerate et non traditi sive non ponderati, auri. Item renuntio scienter et consulte legi illi que subvenit deceptis ultra dimidiam iusti precii et omni iuri rationi sive consuetudini contra hec repugnantibus. Dono etiam vobis de presenti irrevocabiliter inter vivos pure et sine omni retentione totum illud quod dicta hereditas legitima et porcio valet plus dictis cccc. morabetinis. Iuro etiam in anima mea... quod numquam contrapredicta veniam...

Actum est hoc pridie idus iunii, anno Doraini MCCXXX.º sexto.

S + m Guillelme, filie quondam Guillelmi de s. Oliva, qui hoc laudo approbo et confirmo; S + m Gielmi, presbiteri s. Marie de Vilario, qui hoc vidit... videlicet quod in mea presentia firmavit et iuravit hanc cartam predicta Gielma; S + m Guillelmi Monetarii, testis; S + m Raimundi Porcellis; S + m Raimundi de Picalcheriis; S + m Guillelmi de Furmigera; S + m Bernardoni de Petra; S + m Guillelmi de Spellunciis; S + m Petri Iacobi de Portu, scriptoris qui mandato Petri de Bages, notarii publici Barchinone ivi ad castrum de Vilario et ibi accepi firmamentum et iuramentum a dicta Guillelma filia quondam Guillelmi de s. Oliva presentibus testibus Guillelmo, presbitero s. Marie de Vilario; Guillelmo Monetarii; Raimundo Porcelli; Raimundo de Picalcherus; Guillelmo de Furmigera; Bernardono de Petra et Guillelmo de Speluncis; S + m Guillelmi de Toschis.

S + m Petri, de Bages, notarii publici Barchinone, qui hec scribi fecit et clausit cum litt. appositis in lin. viii et xii...

1334.

1237, marzo 14.

A. de Coll, sustituto del juez real de Villafranca, aprueba, en algunos extremos, y desaprueba en otros, la sentencia de Sans de Villafranca en la causa de apelación promovida por Bertrán de Sarriá contra doña Saurina de Claromunt.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 152-3 (n.º MCXXX).

A. C. A., Cart., f. 407 v, n.º 1185.

In Christi nomine. Ego A. de Colle, clericus, ex delegacione Gerardi de Villafrancha, ordinarii iudicis domini regis in Penitense, cognoscente super appellacione quam fecit Bertrandus de Serriano, procurator monasterii s. Cucuphatis a sententia quam tulit Sancius de Villafrancha inter ipsum et Guanagod, procuratorem constitutum a domna Saurina, uxore Raimundi de Claromonte in posse F. de Villafrancha, domini regis vicarii, auditis si quidem propositis ad invicem obieccionibus seu racionibus, visis utriusque partis instrumentis, videlicet sponsalicio domne Saurine pro sua parte et e converso instrumento empcionis domni abbatis s. Cucuphatis, ut in ipsa eadem carta vendicionis continetur super quibusdam condam rebus a Raimundo de Claromonte domno Petro, abbati s. Cucuphatis, venditis que sunt circa fines cuiusdam loci. qui dicitur Capellates. Quarum rerum quasdam homines illius loci proprii monasterii predicti ab ipso Raimundo de Claromonte tenebant, et quasdam alias contentas in predicto instrumento vendicionis seu empcionis que adempriva usualia terrarum atque pasturarum census consuetudines olim constitute predicti homines dicti in monasterii longo condam tempore habuisse consuerant per predictum Raimundum de Claromonte et per antecessores suos infra terminum de Claromonte et circa fines quadre de turre de Capellatis. Inquisitis testibus utriusque partis, exhibitis atque perscrutata rei veritate, ut honestius potui, habito equidem prudentum consilio, de iure sententiam Sancii in quibusdam aprobo, in quibusdam reprobo. Videlicet in his domna Saurina credebatur recipere huc usque bona fide et iusto titulo racione sui sponsalicii eam et suum procuratorem Guanagod ex rigore sui sponsalicii absolvo. Set deinceps in totam possessionem illarum venditarum rerum a suo marito, qui videtur dominus possessionis predictae esse vendicionis, salvo iure proprietatis eam domnam Saurinam et suum procuratorem Guanagod in racione possessionis ipsius domne Saurine condempno, assignando illam possessionem Bertrando de Serriano, procuratori s. Cucuphatis. In qua possessione dictam sententiam Sancii reprobo et iuste appellatum a predicto Bertrando de Serriano dico.

Actum est hoc ii.º idus marcii, a.º Domini MCCXXXVI.º

S + m Ferrarii de Villafrancha, domini regis vicarii; S + m Raimundi de Fraxino; S + m Guillelmi, baiuli.

S + m Arnaldi de Colle, levite, huius rei iudicis, et qui. hoc scripsit cum litt. suprappositis in lin. iii et xi et dampnatis in xv.

1335.

[1237], agosto 10.

El card. Juan, obispo de Sabina, ordena que el procurador del obispo de Barcelona proceda en la causa principal de San Cugat, reservándose la condenación a pagar los gastos y constituyendo procurador del Monasterio a fr. Helias.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 152-3 (n.º MCLXXIII). — KEHR, *Papsturkunden*, i, 62. La fecha del año esta sobre corrección y poco clara.

A. C. A., Cart., f. 389, n.º 1134, y f. 428, n.º 1254.

El Rev. MAS discute la fecha que da el Cartulario y acierta en la data que asigna a este documento, 1237.

Nos I[ohannes], Dei gratia Sabinensis episcopus, dati auditores in causa quam habet abbas s. Cucuphatis nomine Romane ecclesie contra venerabilem patrem Barchinonensem episcopum, dicimus per interlocutoriam quod, non obstantibus appellacionibus ipsius episcopi factis in causa predicta, procurator eiusdem episcopi, scilicet B. de Pinellis in causa principali procedat et reservamus nobis condempnationem super expensis. Item constituimus in causa ipsa procuratorem nomine Romane ecclesie fratrem Heliam, dicti monasterii monachum, quamdiu placuerit domino Pape.

Actum est hoc apud Viterbium, anno Domini M[ccxxx] septimo, feria v. ante festum Assumptionis beate virginis Marie.

1336,

1237, agosto 24.

El obispo de Sabina, card. Juan, condena al obispo de Barcelona a pagar los gastos ocasionados al abad de San Cugat.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 133 (n.º MCLXXIV). — KEHR, *Papsturkunden*, i, 62. La fecha es equivocada en el n.º 1135 y exacta en el n.º 1255.

A. C. A., Cart., f. 389v, n.º 1135, y f. 428, n.º 1255.

Nos I[ohannes], Dei gratia Sabinensis episcopus, dati auditores in causa quam habet abbas s. Cucuphatis nomine Romane ecclesie contra venerabilem patrem Barchinonensem episcopum, condemnamus B. de Pinellis, procuratorem ipsius episcopi, nomine eiusdem episcopi, in centum libris Turonens. persolvendis abbati s. Cucuphatis ab episcopo supradicto, quas taxatas a nobis idem abbas se in causa predicta fecisse proprio iuramento firmavit.

Actum est hoc apud Viterbium ix.º kal. sep., a.º Domini MCCXXXVII.º

1337.

1237, agosto 29.

Bernardo de Canals vende al abad Pedro la tercera parte del molino de Capellades, por 300 sueldos barceloneses.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 154 (n.º MCLXXV).

A. C. A., Cart., f. 399, n.º 1157.

Sit omnibus notum quod ego Bernardus de Canalibus, vendo per me et meos, vobis Petro, Dei gratia abbati domus s. Cucuphatis, et eiusdem domui, in

perpetuum, per proprium liberum et franchum alodium, totam meam terciam partem et ius molendini de Capelades, quam ad feudum teneo per Raimundum de Claromonte. Et licet eam terciam partem ad feudum teneam per Raimundum de Claromonte, eandem vendo per alodium, cum assensu et voluntate eiusdem Raimundi de Claromonte, cuius est alodium franchum. Iam dictam itaque totam terciam partem et ius dicti molendini, cum reggis et capud reggis, aquis, resclosis, glebariis et ligneariis et introitibus et exitibus suis, utensilibus et pertinenciis, vendo per me et meos, vobis dicto abbati domus s. Cucuphatis et eiusdem domni in perpetuum. Et ut melius dici... ego extrahens hanc terciam partem et meum ius molendini, de meo meorumque iure dominio et posse eadem in ius dominium et posse vestrum et dicte domus s. Cucuphatis transfero irrevocabiliter, inducens vos et eandem domum, cum hoc publico instrumento perpetuo valituro, in corporakm possessionem, pleno iure tanquam in rem nostram propriam, ad habendum... Pro hac autem vendicione recepi a vobis dicto abbate, de bonis dicte domus s. Cucuphatis, trecentos solidos denariorum Barchinone, valentibus marcha argenti LXXXVIII solidos, quos me fateor habuisse. Ne vero occasione vel accione duplicis decepcionis vel modis aliis ego possim, vel possit aliqua persona. nomine meo, unquam contra hanc vendicionem venire nec vos dictum abbatem vel domum s. Cucuphatis de non numerata peccunia convenire, renuncio quantum ad hec scienter et consulte dicte occasione et accioni et excepcioni peccunie non numerate et omni iuri divino et humano, scripto et non scripto sive consuetudinario dando perpetuo et cedendo domui s. Cucuphatis et vobis dicto abbati totum quantum dicta tertia pars molendini amplius valet vel amodo valuerit precio supradicto. Insuper promito vobis et dicte domui s. Cucuphatis salvare totam hanc vendicionem et esse inde vobis legalis guarens auctor et deffensor et quod tenere semper vobis de firma et legali evictione, et restituam vobis si quas missiones unquam feceritis in litigando vel defendendo dictam terciam partem molendini sive in evincendo, vel causam eviccioni examinando, et omni contradicenti me opponam. Et pro hiis complendis et atendendis, obligo vobis dicto abbati et domui s. Cucuphatis me et omnia bona mea mobilia et immobilia. Iuro etiam in anima... Ad hec ego Raimundus de Claromonte et uxor mea Saurina laudamus perpetuo et approbamus domui s. Cucuphatis et vobis dicto abbati per proprium liberum et franchum alodium totam terciam partem dicti molendini quam superius vendidit vobis dictus Bernardus de Canalibus diffidentes et evacuates vobis nunc et in perpetuum totam dominacionem et locum, ius, ius, vocem et accionem que habemus et debemus habere quibuscumque modis in dicta tertia parte molendini et promittimus eam vobis salvare sub obligacione bonorum meorum. Set ut hec carta maiori gaudeat firmitate, ego dictus Raimundus de Claromonte, et uxor mea Saurina, iuramus in animabus... Insuper ego Saurina renuncio quantum ad hec meo sponsalicio et senatus consulto Velleyani et iuri ypothecarum mearum hac omni iuri pro me facienti.

Hactum est hoc iii.º kal. sept., a.º Domini MCCXXX.º septimo.

S + m Bernardi de Canalibus predicti; S + m Raimundi de Claromonte;
S + m Saurine, uxoris eius, qui predicta...; S + m Bernardi de Claromonte;
S + m Petri de Vilagelans; S + m Petri de Solerio; S + m Benedicti, clerici

de Valdaurex, in cuius posse dicta domna Saurina firmavit et iuravit hanc cartam; S + m Amati de Granoiarii; S + m Guillelmi Pelliparii.

S + m Petri de Bages, notarii publici Barchinone, qui hec scribi fecit et clausit..

1338.

1237,

diciembre 3.

El abad de San Cugat establece a Guillermo Magerova un prado sito en el lugar llamado "Bufilio", radicado en San Pedro de Octaviano.

REGESTA: MAS, *Notes*, 154-5 (n.º MCI.XXVI).— SAGARRA, *Sant Vicens*, 72. A. C. A., Cart, f. 420, n.º 1235.

Sit omnibus manifestum quod ego Petrus, prior s. Cucuphatis, tenens locum domni abbatis et totus conventus eiusdem loci, damus et stabilimus tibi Guillelmo Magero[va] et tuis et cui velis et progeneri, ei atque posteritati tue ad rumpendum et ad meliorandum... quodam pratium nostrum, quod est in comitatu Barchinone, in parrochia s. Petri de Octaviano, in loco vocato Bufilio. Sicut terminatur: ab oriente in rego s. Cucuphatis, a meridie in honore Petri de Castro Galino ab occiduo in riarria de Rubi, a circio in quodam orto domus s. Cucuphatis tenedone G. Bertrandi. Item damus et stabilimus tibi dicto Guillelmo Magero[va] et tuis et cui velis et progeniei atque posteritati tue, ad habendum... omnem decimam panis, vini, carniū, fructuum et omnium aliarum, rerum, quam nos accipimus et habemus in manso Bufilio, quem tu tenes et habes. Et est dictus mansus de dominio s. Cucuphatis. Item damus et stabilimus tibi et tuis et progeneri atque posteritati tue, ad habendum... omnem decimam omnium rerum duorum ortorum, quorum unum tenet Marchesia Bertrana et alium Maria de Curtibus. Predicta itaque omnia cum introitibus et exitibus suis et pertinentiis et tenedonibus, tu et tui et progenies atque posteritas tua teneatis... sub tali vero condicione quod de omni fructu quod Deus in his predictis dederit donetis nobis et domui s. Cucuphatis annuatim pro censu tres quarterias frumenti, boni, pulcri et bene purgati ad rectam quarteriam s. Cucuphatis, quas tu ibi afferas vel tui anrmatim in festo sanctorum Petro et Felicis, augusti. Ibi vero non proclametis... alium seniore... licentque tibi et tuis post dies xxx ex quo in nobis... fatigati fueritis dictam acquisitionem vestram... vendere... consinuli, tuo... salvo iuro et senioratico nostro...

Actum est hoc iii.º nonas dec., a.º Domini millesimo cxxxx.º septimo.

Ego Petrus de s. Vincencio, prior et sacrista s. Cucuphatis, vicedomini abbatis, ss.; Ego frater Raimundus de Castelar, monachus, ss.; Ego Raimundus de Castelar, monachus, ss.; Ego Raimundus, monachus, ss.; Ego Guillelmus, monachus, ss.; Pgo Guillelmus, monachus; Pgo Arnallus, monachus; Ego frater Arnaldus de Serriano, monachus; Ego frater Arnaldus de Ameniis, monachus s. Cucuphatis, ss.; Ego frater Raimundus de Campolongo, monachus s. Cucuphatis; Geraldus, monachus; Ego Arnaldus, monachus; Petrus, monachus; Ego frater Bartolomeus, monachus; Ego frater Raimundus de Villaequorum, monachus; Ego frater Raimundus de Villaequorum, monachus, ss.; S + m Raimundi de Castroveteri, monachi s. Cucuphatis; frater Berengarius, monachus; Ego

frater Michael; Guillelmus, monacus; Petrus, monacus; Ego Petrus de Pulcrovicino, monacus; Arnallus, monacus; S + m Iacobi de Portu, notarii; S + m Pelegrini de Pausis; S + m Bernardi Coqui, acholiti.

S + m Petri Marchesii, publici Barchinone notarii, qui hoc scripsit cum lit. suprascriptis in iv lin. ubi dicitur "domus" et in VII ubi scribitur "tenet" et emendatis in eadem ubi scribitur "Marchesia".

1339.

1238, enero 18.

Poncio de Aleste restituye al Monasterio el manso Claper, de Cerdañola, en resarcimiento de los daños que su padre había causado al cenobio.

REGESTA: MAS, *Notes*, vi, 152 (n.º MCLXXII).

A. C. A., Cart., f. 420, n.º 1236.

Sit omnibus notum quod cum ego Poncius de Aleste fecerim restitutionem abbati et conventui s. Cucuphatis super omnibus usuriis serviciis et iniuriis quibus pater meus et ego tenebamur eidem cenobio modo aliquo ad restitutionem et ego finem sincerum et integrum et remissionem plenissimam habeam a Raimundo de Bagnariis quondam abbate et conventu dicti cenobii de omnibus predictis usuris et iniuriis per cartam publicam sicut continetur in ea nec ipsi possint contra me super hiis aliquam novam questionem nec me in aliquo convenire ego recurrens ad conscienciam meam que me movet et remordet pro ob usuris serviciis et iniuriis in quibus forte teneor dicto cenobio ad restitutionem secundum Deum ratione dicti patris mei vel ratione mei dono de presenti et offero dicto cenobio s. Cueuphatis et Petro abbati eiusdem mansum meum de Claperio cum terminis et tenedonibus suis cultis et heremis quem per proprium liberum et franchum alodium habeo ratione dicti patris mei in parrochia s. Martini de Cerdaniola iuxta mansum de Nogera qui est alodium dicti cenobii. Quem dictum mansum cum introitibus et exitibus suis et pertinenciis et cum omnibus locis iuribus vocibus et accionibus que inde michi competunt extraho de iure dominio et posse mei et meorum et in ius dominium et posse dicti cenobii et conventus transfero irrevocabiliter ad omnes suas voluntates... Si quo autem iure, ratione...

Actum est hoc xv.º kal. februarii, a.º Domini millesimo cxxxvii.º

S + m Poncii de Alesto, qui hec firmo; S + m Guillelmi Pelliparii; S + m Amati de Grua, notarii; S + m Guillelmi Rosselli, acholiti.

S + m Petri de Bages, notarii publici Barchinone, qui hec scribi fecit cum lit. appositis in lin. i...